

RAYMUNDUS TELLERÍA

SUPER DOMIBUS PALATIATIS FAMILIAE S. ALFONSI

Adnotationes et Documenta

Usque in praesens perstitit ac perstat biographorum haesitantia, ne dicam ignorantiam, circa domicilia neapolitana familiae S. Alfonsi: domicilia, intelligimus, indubia et plane identificata quoad eorum situm, contignationes, cubicula, habitatores et sic porro (1) annorum decursu atque intervallo. Fateor libenter quaestionem haud esse magni momenti, sed nec prorsus sperendam quasi orbam quolibet influxu in educatione S. Alfonsi atque in suae familiae ascensione sociali: aedificium namque ubi quispiam natus est et adolevit necnon urbis regio in qua stabat domus familiaris persignant propriam cuiusque physionomiam internam et quadamtenus plasmant reactiones psychologicae iunioris aetatis, praesertim cum agitur de metropoli maritima, qualis tunc temporis splendebat Neapolis cum suis viculis intra vel extra moenia, mari adiacentibus vel a littore dissitis. Quibus generalibus adiunctis adde viciniores animi impulsiones, puta regionis urbanae ecclesias, nobiliores familias per circuitum sparsas, scholarum sedes magis florentes, oblectamenti privati aut publici theatra, palaestras, hortos et his similia.

Hac de causa hodiernum meum commentarium illuminabit utramque potiore familiae S. Alfonsi domum palatiam, aliam nempe sitam in suburbio neapolitana « dei López », aliam autem initio viae S. Mariae ante Saecula seu ad Saecula. « Potiorem » nuncupamus, quatenus utraque facta est familiae ac S. Alfonsi domicilium: secus ac alia antiquior familiae domus ad carcerem S. Iacobi, quae locationi fere semper dedita fuit, sicuti monebo in secundo huius articuli praenotamine, postquam in primo anteponam archivorum indagations posthac faciendas. His denique in appendice subiiciam caeteras familiae domos, donatione aut hereditate susceptas, sed a S. Alfonso nunquam commoratione sua honoratas.

(1) In *Analectis C.SSR* 21 (1949) 216 collegit eiusdem moderator « nonnullos textus ad determinandum hospitium neapolitanum »: sed collectorem latuit quod textus ab ipso allati, a me quoque mox adferendi, respiciunt duas aedes diversas, videlicet: modo unam, quae devenit Congregationis « quasi » hospitium; modo alteram, quae censenda est verum hospitium.

I

DUO PRAENOTANDA

I. - *Primum: circa huius quaestionis fontes archiviales.*

Hucusque biographi alfonsiani, speciatim ante herois — novelli sacerdotis — discessum a domo paterna, numquam adepti sunt hanc domum calamo scriptorio commonstrare, etsi quandoque hanc monstrationem diu desideratam temptavit professor emeritus idemque tenax propositi (2). Hoc cardine externo, utique secundario, privabatur S. Alfonsi historia plures ob causas, quarum prima fortasse reponenda erit in pedisequa traditionis acceptatione (3) aut in fallaci P. is Tannoia interpretatione (4). Ratio tamen gravior adiudicatur pervetusto archivi notarilis statuto seu regimini, quo vetabatur viris studiosis accedere ad locupletissimum tabellionum quasi sacrarium, ab annis reconditum in ex-monasterio theatino S. Pauli Maioris: illius namque aditus mansit praeclusus sub specie frenandi usum archivi privati, qualis censebatur iste, cuius servitia gerebat coetus notariorum in beneficium sive clientium sive tribunalium, praeunte quidem pecuniae largitione ad consulendas chartas prorsus necessaria.

A tribus autem annis fortunatam diceres investigatorum cohortem, cui interea datum est contemplari — etsi fere a longe — molem ingentem fascium seu voluminum notarilium (ultra 25.000 vol. pro seculis XVI-XVIII), translata ex praecitata sede sodaliti in publicum «Magnum Archivum Status» neapolitanum. Subiunxi «fere a longe», quia ob penuriam officialium aliasve ob causas nequeunt volumina transmissa consuli plene ac fructuose, quamdiu deficient indices apte dispositi necnon desideretur tabellionum distributio systematica in pluteis huic sectioni destinatis. Modo quidem accidit quod amissum deploremus volumen, cuius

(2) Super S. Alfonsi domicilio iuvenili complevit explorationem sagacem, at mancam P. Dominicus Capone: *L'abitazione di S. Alfonso a Napoli da giovane*. In: *Contributi bibliografici*, Brescia 1940, 66. Dixi «mancam», quia vestigatio non accenderat lumen notariorum, ad quos tunc temporis accedere aegre obtinebatur, sicuti innuitur in corpore huius articuli.

(3) Pedisequa confirmatur ex eo quod invaluit consuetudo monstrandi domum palatiam principis Presicce-Liguoro tanquam domicilium familiae S. Alfonsi. Certe quidem palatium principis Presicce-Liguoro stabat atque hodie stat in eadem via «dell'Arenaccia», sed in opposita crepidine seu margine, ubi stetit domus palatiata D. Hercules de Liguoro, ut mox in textu articuli indicabimus.

(4) Fallacia cingit interpretem, qui privus aliis documentis coaevis sumit P. is Tannoia locutiones easque audent ad singula aedificia applicare. Absque dubio P. Tannoia novit atque frequentavit domos, sed illius verba indigent commentario ne decipiant formâ externa lectorem minus praeparatum. Idcirco eiusdem declarationes postmodum suis locis inseruntur.

vestigia fuerunt solummodo dispersa usque ad tempus, quo singularae chartae fuerint accurate praecognitae ac recensitae.

Enimvero historica cuiusvis domicilii repertio, qualem in hoc articulo pro familia S. Alfonsi exoptamus, subiacet illius aetatis usibus, mandatis potissimum custodiae-notariorum et parochorum. Vigebat porro anarchica viarum platearumque inordinatio, quae ignorabat domorum numerationem (5) eamque substituebat in documentis officialibus allegando domicilii confines, dignoscendos ex vicinis familiis, uti infra commonstratur (Doc. II, III, IV). Quamobrem duplex via generatim aperitur viro studioso, inquirenti situm et limites cuiuslibet domus vel palatii: alia nempe archivi paroecialis, cuius « libri mortuorum » referunt saepe ultimum domicilium personarum, morti quovis modo occumbentium; alia vero tabellionalis archivi, cuius testamenta communiter praeponunt in capite instrumenti domum, contignationem necnon et cubiculum, ubi testator dictat postremas suas deliberationes. Domicilii confines aut saltem eiusdem « ubicationem » (fas sit vocabulo) revelant quoque interdum alia instrumenta notarilia, v.gr. bonorum inventaria, declarationes hereditariae, emptiones aut venditiones immobilium, et sic porro.

Quae cum ita sint, nobis suadent ut in casu familiae S. Alfonsi gaudeamus de notitiis iam habitis, alias autem pretiosiores exspectemus pro tempore haud nimis remoto: quando scilicet sectio, noviter instaurata et ex notariis translatis conflata apud archivum Status, protulerit in lucem cunctos tabelliones, quibus usa est gens de Liguoro decenniis illis, quae successivas totius familiae et praesertim S. Alfonsi commorationes directe afficiunt. Quo mens articuli clarius pateat et in commodum iuniorum investigatorum submitto tres quattuorve notarios, quorum instrumenta immediate aut mediate respiciebant prima decennia aetatis S. Alfonsi ac de quibus non valui sumere oculariter notitias, sive quia eorum volumina partim perierunt ante quam fuissent olim in supra notarili congesta, sive quoniam post partialem archivi translationem supra indicatam manent adhuc extra pluteos dispersa. Ecce ergo tabelliones potissimum reperiendi atque eventus alfonsiani ex tabellionibus clarescendi:

I. - *Futurus S. Alfonsi pater* D. Iosephus de Liguoro an. 1685, quindecim annos natus, excepit donationem a patre suo D. Domenico: is filio suo bona cuncta largitus est, retento sibi eorum

(5) Aedificiorum numeratio introducta est sub finem illius aetatis aut in primo decennio saeculi XIX.

usufructu vita sua durante; donationem ipse subscripsit die 16 maii praedicti anni 1685 coram notario D. Michaële Colella seu de Colellis, cuius instrumenta prostant completa in archivo Status pro ann. 1676-1677: pro an. autem 1685-1684 [*sic*] supervixit unum alterumve instrumentum vix adumbratum ideoque imperfectum, praeter quam quod lectu difficile. Donationis ergo nucleum sufficienter noscimus ex documentis posterioribus; verumtamen ignoramus textum integrum, unde fortasse nobis datum esset trahere obiectivum familiae Liguoro statum oeconomicum ac praesertim bona eiusdem immobilia.

In eundem cognitionis scopum refluxissent capitula matrimonialia inter D. Hippolitam de Liguoro, sororem S. Iosephi atque amitam S. Alfonsi, et D. Nicolaum Tramontano: quae pariter capitula subscripta sunt ante notarium de Colellis die 4 aprilis an. 1691 (6).

2. - *Similiter futura S. Alfonsi mater* D. Anna Catharina Cavalieri an. 1695, viginti quinque annos nata, inivit nuptias cum D. Iosepho de Liguoro easque in cathedrali ecclesia neapolitana habuit solemniter ratas propterea quod tunc temporis familia Cavalieri domicilium suum colebat « ai SS. Apostoli » (7) intra parociam templi metropolitani: nuptialibus autem inter sponso pactio-nibus obvenerant coram notario Nicolao de Mita (alii: de Vita) die 12 martii eiusdem an. 1695 capitula matrimonialia, quorum notitia conferret nobis clavim ad plura coniugum Liguoro-Cavalieri problemata diluenda.

3. - Huic adiungitur *avus S. Alfonsi maternus* D. Fridericus Cavalieri, vitâ functus die 20 decembris an. 1703: illius testamentum dictatum die 7 eiusdem mensis, apertum vero die 2 ianuarii an. 1704 accensebatur inter chartas professionales magni notarii D. Antonii Cirillo, qui munia tabellionis obiit ab anno 1664 ad 1712: cuius periodi volumina quadraginta et octo diligenter pervolvi quin inter contractus, rogationes et testamenta invenirem

(6) Pro D. Iosepho de Liguoro Cfr *Spic. Hist.* 7 (1959) 230-231. - Pro D. Hippolita de Liguoro, *Spic. Hist.* 9 (1961) 90, 98. - In beneficium eiusdem D. Hippolitae atque ab eodem notario D. Michaële de Colellis exaratum fuit aliud instrumentum fundamentale die 29 martii an. 1694, nondum tamen repertum.

(7) Anno immediate praecedente matrimonium D. Annae fit nobis obvia sequens indicatio notarilis: « Die primo mensis maij millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto Neapoli, et proprie in palatio ubi ad praesens habitat infrascriptus D.nus Dr. Federicus Cavaliero, Praesidens Regiae Camerae Summariae, sito in platea SS. Apostolorum... ». Arch. di Stato, Napoli, Not. Antonio Cirillo, an. 2694, f. 127. Instrumentum hoc inter D. Fridericum atque DD. Nicolaum et Ianuarium de Avenia consuit totam familiae historiam, cum S. Alfonso ex parte matris suae connexam: idcirco in lucem edetur.

optatum bonorum inventarium aut testamenti originale protocol-
lum (8).

Haec exempla prae se ferunt existentiam, licet non supervi-
ventiam, documentorum, quibus aliisque praelucentibus esset fa-
cile ac iucundum reperire Neapoli prisca loca alfonsiana atque
trutinare opiniones de ipsis vulgatas, non semper innixas fundata
historiae veritate.

2. - *Praenotamen alterum : antiquior domus ad carcerem S. Iacobi.*

Ex actis notarilibus eruitur quod D. Iosephus de Liguoro et
D. Anna Catharina Cavalieri, S. Alfonsi genitores, ineuntes an.
1695 novam vitae familiam, domicilium quoque proprium atque
independens sibi exquisierunt. Ubinam tamen exquisitionem insti-
tuerunt atque perfecerunt, manet historiae nodus haud definitive
solutus. Enimvero inter bona immobilia, a D. Iosepho per dona-
tionem patris sui an. 1685 excepta, comperiuntur duae domus :
alia plus minusve rusticula in casali Marianella, de qua ac de at-
tiguio praedio agam seorsim : alia vero palatiata ad carcerem S.
Iacobi « degli Spagnoli », sita intra urbis regionem magis hispa-
nicam, scilicet inter amoenum littus Castelli Novi et arcem editam
S. Erasmi (*Sant'Elmo*) : qui enim illius aetatis incolas hispanos
dignoscere et quodammodo numerare velit, accedat ad huius ur-
bani cardinis paroecias : S. Anna di Palazzo, S. Francesco e S.
Matteo, S. Marco di Palazzo, S. Maria d'Ogni Bene, S. Marco di
Palazzo, S. Maria Incoronatella... : ex earum namque libris pa-
roecialibus surgit temporis acti visio historica quoad personas et
familias.

Iam pridem e loco disparuerunt et palatiata Liguorii domus
et S. Iacobi carcer, sed utriusque situm definire non est arduum
negotium : quandoquidem ad cornu laevum priscae viae Toledo,
hanc inter et molimen turritum Castelli Novi, stant vetus xeno-
dochium (hodie sedes municipii neapolitani) atque adiacens ec-
clesia S. Iacobi seu nobilium hispanorum, a quibus parum dista-
bat palatiata gentis de Liguoro domus : hanc domum maiore cer-
titudine historica deprehendimus ex eo quod, demolito aedificio

(8) Adest quidem, et transcripsi, bonorum inventarium, in quo primas partes tenent :
« Due palazzi con diversi quarti all'imbrecciata [salita] dell'Incurabili ». In eadem urbis re-
gione « et proprie in palatio proprio, sito all'Anticaglia contra palatium Ill.mi D.ni Prin-
cipis Avellonen. » [di Avellino] morabatur an. 1705 D. Iosephus Cavalieri, D. Annae frater
ac S. Alfonsi avunculus, sicuti docemur ex citato notario Cirillo. Hinc facile clarescit cur
hisc viculis adhaereant quaedam facta alfonsiana, v.gr. prima concio S. Alfonsi diaconi in
ecclesia S. Ioannis « a porta ».

qua tali, subsistit hodieque prisca via inscripta B. Urríes, sed novis aedibus iuvenula, cui de facto adnectunt pristina documenta frontem nobiliorem palatii Ligoriani huiusque praecipua contignationes. En nonnulla testimonia, in periodos 25 circiter annorum distributa, quibus domus palatiatae situs, locationes, pretium ac vicissitudines exprimuntur :

1. - Quoniam D. Dominicus de Liguoro, S. Alfonsi avus, etiam post donationem honorum factam in beneficium filii sui D. Iosephi, retinuerat donationis usumfructum, paciscebatur an. 1706 in hunc modum : « L'Ill.mo Sig. D. Domenico de Liguoro, patritio neapoletano... per conventionem havuta con Dom.co Cappiello e Gio. Pietro Raimondo, bottegari, lardi e salumari... dà e conferma in affitto alli medesimi... una bottega per uso e servitio di loro mestiere con mezzanino e due camere sopra, et un'altra camera dalla parte del vico con altra bottega sotto di essa camera, et anco con cortiletto delle sue case, dove al presente essi Dom.co e Gio. Pietro habitano, site in questa città in strada di Toledo, e proprio accosto le carceri di S. Giacomo, senza che in d° cortile debbiano havere attione altri pigghionanti, eccetto che Dom.co Parente, pigghionante dell'altra bottega accosto. E questo durante il tempo di nove anni continui... : alla ragg.ne de' docati nove e mezzo il mese, che importano doc. centro quattordici l'anno... » (9).

2. Post 24 annos citatur an. 1730 inter possessiones D. Iosephi de Liguoro, filiis suis (et consequenter S. Alfonso) diversimode legandas : « Una casa palazziata, sita alla strada di Toledo, attaccata alle carceri di S. Giacomo, con tre botteghe e camere di sopra, e con cantina da vendere vino sotto » (10).

3. - Transactis aliis 24 annis, adiungitur an. 1754 caeteris D. Herculis de Liguoro bonis, et quidem iisdem verbis praecedentis tabellionis : « Una casa palazziata situata nella strada di Toledo, attaccata alle carceri di S. Giacomo, e tre botteghe e camera dalla parte di sopra con cantine ad uso di vender vino a barile » (11).

4. - Elapsis quinque lustris, post mortem D. Herculis an. 1780 signatam atque in subsequenti bonorum inventario promitur cum pretio locationis annuae totius aedificii : « Una altra casa pa-

(9) Arch. di Stato, Napoli, Not. Carlo Stefano de Vivo, an. 1706, f. 571v. Die 9 nov. 1706.

(10) Cfr *Spic. Hist.* 6 (1958) 255.

(11) Arch. di Stato, Napoli, Not. Francesco Luigi Montemurro, an. 1754, f. 1309. - Instrumentum hoc in lucem edetur, sicuti speramus.

lazziata sita nella strada di S. Giacomo degli Spagnoli, consistente in diversi membri, affittati per duc. 804 l'anno» (12).

5. - D. Herculis successores ac filii, nimirum DD. Iosephus iunior et Alfonsus, annis sequentibus ad domum palatiam animos converterunt. Etenim D. Iosephus matrimonium icturus an. 1784 ideoque pecuniam mutuum postulaturus a complatearibus collegis Portae Novae praeposuit, ad futuram mutui restitutionem convallandam, elenchum bonorum suorum inter quae numeratur: «Un comprensorio di case, sito e posto in questa città di Napoli, a proprio accosto le carceri di S. Giacomo, che al presente rende ducati settecento sessantaquattro». Verumtamen D. Iosephus, saltem postmodum, habuit domus palatiatae condominum fratrem suum D. Alfonsum, qui die 17 decembris an. 1791 regem adiit deprecans, ut ab habitaculis suis praedictae domus arceretur inquilinus, qui in ipsis lenocinium fovere ausus erat (13).

6. - Denique saeculo XIX, instituta urbana domorum numeratione, fit signantior palatii determinatio: «Il giorno 19 agosto 1816. Innanzi a noi il Sig. Principe di Pollica D. Giuseppe de Liguoro... ha dichiarato di possedere un comprensorio di case, sito nel vico Baglivo Urries, n° 68, pervenutoli tra i beni di suo padre...» (14). Huic instrumento adnexa profertur descriptio designatoris (*ingegnere*) technici affirmantis: «Il comprensorio di case, posseduto dal Sig. Principe di Pollica, è piantato lungo il vico detto Baglivo Urries a Toledo, prima della calata di S. Giacomo. Confina verso levante colla casa posseduta dal Sig. Presidente Vexere, dal d° D. Giovanni Castelli e D. Luigi Ungaro; verso mezzo giorno colla casa di Filippo de Angelis; verso ponente colla strada di Toledo; e verso settentrione col d° vico Baglivo Urries,

(12) Ibid., Not. Emmanuele Barletta, an. 1780, f. 338. - Inventarium istud, sat longum, at valide indicativum vecticis oeconomici, socialis, culturalis ac religiosi familiae S. Alfonsi ante mortem S. Doctoris, manet transcriptum ut prelo subiciatur.

(13) Ibid., Not. Gaetano Ant° Montemurro, an. 1784, f. f. 16: pro mutuo D. Iosephi de Liguoro. - Ibid. Sez. Politica, Consulte della R. Camera, 1791 dicembre, v. 708 (sine fol.): pro D. Alfonso de Liguoro. «17 dicembre 1791. Espose a V.M. D. Alfonso de Liguoro, patrizio napoletano, che avendo egli con inganno affittato a Gaetano Rinaldo un appartamento delle sue case, site alla strada di Toledo, egli con la sua moglie ne ha fatto lenocinio». - Postulat proinde ut a domo exire cogantur.

(14) Arch. di Stato, Napoli, Not. Nicola Maria Montefusco, an. 1816, n. 730, f. 630. In citata ecclesia S. Iacobi, ad cornu dextrum (hodie simulacro B.M.V. de Montserrat conspicuum) sepultus dormit atque effigie marmorea exprimitur D. Franciscus Urries, ex Aragonia ortus, S. Eufemiae bailio, mortuus an. 1551, octoginta annos natus. Quoad ecclesiam S. Iacobi et regionem hispanam circumstantem Cfr B. Croce, *La Spagna nella vita italiana durante la Rinascenza*, Bari 1917, 257 ss.

ov'è il portone. Si compone del pianterreno in talune botteghe, stanze sulle medesime, e di tre superiori appartamenti» (15).

Sed de his satis superque. Deficiunt siquidem argumenta indubia ad concludendum in hoc palatio habitasse diutine (16) S. Alfonsi familiam, quo tempore ille vitam egit inter homines. Hac de causa omittimus commentarium et regyramus articuli cardinem.

II

DOMUS PALATIATA AD SUBPORTICUM LOPEZ EIVSQUE VINCULA CUM S. ALFONSO ET CUM ILLIUS FAMILIA.

I. - *Subporticus López in suburbio Virginum.*

Extra urbis moenia, exiens per portam S. Ianuarii, viator tunc temporis incedebat versus collem septentrionalem seu montis caput (*Capo di monte*) viâ ampliore ac magis calcata, cui nomen erat «dei Vergini». Huius monumenta principaliora, sub aspectu nostro alfonsiano, occurrebant unum post alterum peregrinanti devoto: in latere sinistro sacellum S. Mariae Misericordiae seu «la Misericordiella», olim S. Caietano concreditum (17), cuius annales sociantur stricte cum S. Alfonso et cum ipsius familia (18); in latere autem dextero ecclesia PP. ministrantium infirmis, subporticus López, domus Congregationis Missionis, ecclesia parocchialis S. Mariae Virginum: postmodum in bivio «dell'Arenaccia»

(15) Arch. di Stato, I. cit. - Huius domus palatiatae vinculum cum familia Liguoro rumpitur ann. 1847-1849 in «liquidatione» generali, quae post mortem D. Iosephi de Liguoro iunioris († 1846) adsignavit regio Conservatorio Spiritus Sancti haec bona immobilia: «Due botteghe con stanze superiori, site: la prima in strada Toledo, numeri 157, e 71 e 60; e l'altra al vico Baglivo Urries n. 70». - Arch. di Stato, Napoli, Giustizia, Graduazioni, fasc. 413. - Via contradistinguitur hodie nomine B. Urries, etsi aedificia sunt mutata. Quoad vocabulum notamus: *Baglivo*: magistrato della bagliva. - *Bagliva*: ufficio che esaminava le cause civili: contravvenzioni e piccoli risarcimenti. A. ALTAMURA, I. cit. 83. - Nomen ac res ducebant originem immediatam ex Aragoniae regibus. *Bailio* significabat etiam equitem professum ordinis militaris S. Ioannis, honoratum «commenda» seu «bailiaje» super quoddam oppidum vel locum.

(16) In quodam instrumento fit allusio ad aedificii condominium exercitum a D. Domenico de Liguoro, S. Alfonsi avo, et ab eiusdem filio D. Iosepho, quin dominium secum ferret (ni fallimur) utriusvis in domo habitationem.

(17) In fronte aedificii adhuc legimus: «Aedem Virgini Mariae misericordiarum Matri / dicatam quam Ascetriae olim benedictinae / tum B. Cajetanus Venetiis communi accitu / Neapolim digressus pie casteque coluerunt...».

(18) In hypogeo humati sunt viri Liguoro ex ramo S. Alfonsi, dum virgulta ex ramo Liguoro-Presicce habuerunt requiei aeternae sedem apud ecclesiam Montis Oliveti seu «dei Lombardi», in qua Alibertus Ligorius «divae Mariae pie dedicavit» [altare] simulque «Alibertus ex nobili Ligoriorum gente (?), mortis non immemor, conditorium hoc sibi suisque Anno D.ni 1532», Ita legimus hodie post iacturas monumento illatas a tormentis bellicis aëreis.

et S. Mariae « ante Saecula », utraque domus palatiata gentis de Liguoro, nempe principis Presicce-Liguoro et Exc.mi D. Domini de Liguoro, necnon familiae Sanfelice palatium: quibus adde, haud procul, PP. dominicanos S. Mariae « alla Sanità » et PP. conventuales S. Severi, praeter parum editum collegium S. Familiae seu « Sinensium », ubi sese recepit S. Alfonsus post primum sui sacerdotii biennium (19).

In hac urbis regione attentionem nostram exacuunt ecclesia paroecialis S. Mariae Virginum ac subporticus López. Paroecia siquidem S. Mariae Virginum, olim sacello S. Mariae Misericordiae addicta (20), retinet in suis baptizatorum libris honorem et secretum: honorem, quatenus in suo regenerationis christianae fonte Christum induerunt S. Alfonsus eiusque septem fratres ac sorores: secretum vero, quoniam paroeciae libri archiviales nondum nobis revelarunt familiae de Liguoro mansiones, metatas in circumscriptione paroeciae saltem per decennium. Ex libris Visitationis Sacrae apud archiepiscopalem Curiam depositis colligitur quod hoc decennali (1696-1706) intervallo progrediebatur sub omni aspectu vita paroecialis, duce praesertim Rev.do D. Iosepho del Mastro, S. Alfonsi baptizatore (21), cui demortuo (1706) successit Rev.dus D. Nicolaus Grillo (22).

(19) Ecclesia S. Severi suburbii Virginum subiacebat ditoni PP. Conventualium: « Die 5 maij 1700... et proprie in Ven.li monasterio divi Severi RR.PP. Conventualium divi Francisci in burgo Virginum... ». Arch. di Stato, Napoli, Not. Mattia da Napoli. - Monasterium dominicanum S. Mariae « della Sanità », caput et origo Congregationis homonymae, habet historiam gloriosam aequae ac litigiosam. Cfr Arch. di Stato, Napoli, Monasteri soppressi, v. 605, f. 306v., 416. - Collegium Sinensium colligatur initio illius saeculi « agli abbati e monaci della Congregazione di Monte Oliveto... [i quali] fino dall'anno 1703 comprarono un palazzo sito in ultimo del borgo delle Vergini, proprio dove si dice Pirozzo, contiguo al convento della Sanità...: ci hanno fatte alcune fabbriche... siccome ancora ridotta alla perfezione una chiesa fabricata da fondamenti ». Arch. di Stato, Napoli, Monasteri soppressi, v. 6023, Monteoliveto, f. 118. Ibidem (f. 139) narratur quomodo haec omnia an. 1728 transierunt in ditionem P. Matthaei Ripa: huic sociatus est S. Alfonsus anno sequenti.

(20) Arch. di Curia, S. Visita, Repertorio, I (1599-1645) f. 412: « Parrocchia di S. Maria della Misericordia o di S. Gennarello Spogliamorti: fuori porta S. Gennaro al borgo de Vergini ». - Ibidem. Sacra Visita, F.cus Pignatelli, pars I, f. 8-11: « Die 3 dec. 1711... S^a M^a Virginum seu S. Januarii extra moenia, alias Spogliamorti ».

(21) Rev.dus D. Iosephus del Mastro, minister baptizans S. Alfonsum, nobis mandavit die 3 nov. an. 1698 coram notario elenchum huius progressionis a se factae: « Una pianeta di lama d'oro... Una pianeta di raso cremisino ricamata d'argento... Un cammiso [sic] ricamato d'argento et oro con ammitto. Un piviale paonazzo... e capuccio d'argento et oro. Due portieri ricamati in seta et oro... con imagine della Beata Vergine della Conceptione... Cinque reliquiarij di legno indorati con reliquie insigni... Arch. di Stato, Not. Dom. Ant^o Avallone, an. 1698, f. 263v. - Ibid., an. 1706, f. 12v. Die 5 feb. 1706, testamentum praedicti D.Ios. del Mastro, qui inter alia declarat « tenere una scatola sigillata... con somme de' denari...: sia consegnata al Superiore della Ven. Cong. de' RR. Sacerdoti del tit^o Scassacocchi ».

(22) Sub directione D. Nicolai Grillo manebat paroecia an. 1711 tempore S. Visitationis, cuius acta nos docent numerum ac titulos altarium, scilicet S. Mariae Gratiarum, Assumptionis B.M.V. et S. Annae. Apud ipsam florebat congregatio sub tit^o SS. Conceptionis cum priore, thesaurario atque sociis. Arch. di Curia, I. cit., pars 1^a, f. 8-11; pars IV, f. 46.

Progressio materialis lenta huius regionis efficiebat ut viculi ab arteria centrali (*via maestra dei Vergini*) magis dissiti amplecterentur vasta perimetro domos, hortos et agros. Hac de ratione, prope domum Congregationis Missionis seu PP. Lazaristarum oriebatur via transversa, cuius initium in praedicta arteria nuncupabatur subporticus López, propterea quod olim hispanus regius consiliarius D. Didacus López palatium in loco aedificaverat: sic tamen ut ille arcu seu potius fornice arcuata protegeret ac liberum relinqueret aditum ex arteria «dei Vergini» ad viam transversam, quae mox lento tramite iuxta palatium ducis S. Eliae (hodie *salita Sant'Elia*) ascendebat in editum collem «la Montagnola», prope magnificum praedium familiae Gizzio-Avenia, propinquae sanguine cum gente de Liguoro. Ad haec, coetus de Liguoro eminebat in paroecia S. Mariae Virginum propter virum D. Dominicum de de Liguoro, sodalitiis eiusdem addictum, de quo infra loquimur pauca.

2. - *D. Iosephus de Liguoro, S. Alfonsi pater, emit an. 1717 domum palatiatam ad subporticum López.*

D. Iosephus de Liguoro, matrimonio iunctus an. 1695 in paroecia ecclesiae metropolitanae, curavit — ut supra innuimus — baptizandos in paroecia S. Mariae Virginum cunctos ac singulos suos octo filios, ad vitam Christi renatos intervallo ann. 1696-1706: prae aliis primogenitum S. Alfonsum, cuius tamen domus natalis defigitur a densa traditione in casali Marianellae, ubi similiter vigeat et florebat paroecia unica S. Ioannis Baptistae cum coaevis, immo antiquioribus libris paroecialibus. Iam vero: quoniam D. Iosephus universam suam prolem detulit fonti regenerationis apud paroeciam S. Mariae Virginum, intra huius paroeciae limites hoc decennio habitasse praesumitur. Attamen incolatus sui aedificium manet ignotum. Si fas nobis esset illud signare ad subporticum López in domo palatiata, quae per hypothesim locata tunc fuisset per decennium, cessaret aenigma historicum, quia identificaretur cum ea quam an. 1717 suam ille reddidit pretio dato; sed documenta silent.

Ex opposito loquuntur de ascensione militari et sociali D. Iosephi ab anno 1707 et deinceps, postquam sibi ac pro familia sua adeptus est patrociniū habsburgicum: sunt enim qui putent illum exinde, duabus annorum decadibus sequentibus, transtulisse familiae domicilium in cor urbis: in regionem nempe viae Tribunalium ac viculi animarum Purgatorii, ea sane intentione ut pri-

mogenitus S. Alfonsus frequentaret Regia Studia sive Universitatem in claustris S. Dominici Maioris (23). Interea D. Iosephus, qua praeditus erat ingenii et voluntatis potentia, gradus militiae paulatim conscendens (24) refovere poterat appententias legitimas filii adolescentis, inhiantis ad maiora post lauream doctoris habitam die 13 ianuarii an. 1713.

Ad fastigium, etiam oeconomicum, consequendum iuvabant certatim alia familiae membra. Eodem anno 1713, die 5 mensis maii, D. Iosephus Cavalieri secretarius Status et Belli ac S. Alfonsi avunculus, munivit auctoritate sua memoriale imperatori habsburgico remittendum, quo ferebantur et commendabantur servitia regno atque imperio praestita a D. Iosepho de Liguoro (25): is parum postea melioravit in dies accessiones familiae suae nummarias, quae viam ipsi aperuerunt ad emptionem domus palatiatae et praediorum.

Meliorationes multiplici ex capite: primo, quia ex sede imperii id est, e Vindobona cessit in D. Iosephi de Liguoro beneficium sua hereditatis iura conspicua Rev. duş abbas D. Franciscus Mastrillo, eiusdem patruelis (26); secundo, ob proventus qui ann. 1714-1716 succreverunt tanquam stipendia D. Iosephi gubernantis triremem « La Padrona »; tertio, quia non solum tenuit navis durum clavum ac rexit terra marique nautas et milites, verum etiam quoniam valde probabiliter membrum fuit et particeps supremi maritimi Consilii, cui a prorege — imperatoris iussu — anno 1715 demandatum erat propositum atque molimen exstruendae novae classis, quattuor triremibus formidandae (27).

Hunc in finem, scilicet utendi legitime suis muniis officialibus ad augendum privatum familiae suae patrimonium, occurrerunt D. Iosepho occasiones fortunatae ex eo quod, tam aetate quam experientia, micabat inter triremium duces: idcirco provexit ne-

(23) Cfr D. CAPONE, 1. cit. supra nota 2.

(24) Cfr *Spic. Hist.* 7 (1959) 233.

(25) *Ibid.*, 251.

(26) Rev. duş iste abbas (*abbate* in sensu ordinario illius aetatis) dignus est qui pro S. Alfonsi biografia dignoscatur, quippe qui illius instrumenta notarialia, a tabellionibus imperialibus recognita, porrigunt nobis notitias indubias super avia paterna S. Doctoris, D. Andreae Mastrillo.

(27) Die 26 octobris an. 1717 promulgata fuit regia prammatica simul cum apposito « Cesareo Real Regolamentoo della Marina », cuius virtute « fu da S. M. stabilita la Pianta di quattro galere: Capitana, Padrona e due Sensiglie, e di quattro navi da guerra, descrivendo le loro portate e dotazioni di un Reggimento di 600 soldati comuni con suoi ufficiali, e della Piana Maggiore della Marina ». Biblioteca Soc. Stor. Patria, Napoli, M.S. XXI. a. 8. f. 21: *Memoria a S.E. per la Marina*. - Memoria haec confecta fuit et proregi exhibita an. 1733, sed in ipsa enarratur praecedens fabricatio navium, pro quibus D. Iosephus de Liguoro advexerat lignorum carbonisque copiam.

gotia lignifera et carbonifera in insulis tyrrhenicis Ponza, Zannone et Palmarola: eo lubentius, quod hac via fovebat regni utilitatem ac bonum publicum potius quam personales lucri oppletiones. Nihilominus constituta societate legali, cuius D. Iosephus mansit caput et agens primarius (Doc. I), nihil impedit quominus gratulemur ei, comparanti sibi ex nova activitate augmentationes moderate quaestuosas, cumulanidas stipendio ordinario officii sui militaris.

Nihil proinde mirum quod, intuitu familiae suae atque speciatim primogeniti Alfonsi, cogitaverit sortem capitalem oeconomiae, solerter acervatam, reponere solertius super bona immobilia, pretio adquirenda. Idcirco eodem fere tempore, intra annum scilicet 1717, ad exitum perduxit duplicem operationem emptionalem: aliam, qua in avito familiae casali Marianellae emit praedium rusticum dictum «Cardovino», de quo alias egimus atque agemus (28): aliam autem, cuius effectu sibi retinuit domum palatiatam ad subporticum López: utramque conspicuam sumptu plurimum millium ducatorum.

Palatium subporticus López non unico aut improvise motu acquisivit D. Iosephus, sed praevisis lentis ac fortasse callidis pactionibus cum eiusdem proprietario, cui antehac porrexerat ille pecuniam mutuo datam cum hypotheca saltem virtuali circa aedificium. Enimvero ab hisce annis placebat D. Iosepho obire mutuatoris nummarii vices (29), quae post aliquos annos suetus fuit explere frequentius, prouti mos erat collegis suis nobilibus.

Ad documenta quod attinet, quibus infra exhibentur hypothecaria emptionis praeparatio atque actiones notariles acquisitionis domus palatiatae, nullam prae se ferunt difficultatem. Verum enimvero ex illis clare eruitur quanta cura, initio saltem anni 1715, subscripserit mutuator primam nobis notam mutationis syngrapham in beneficium D. Iosephi Scordovillo, qui vicissim inter bona sua ad restitutionem mutui aptiora praemittit domum palatiatam subporticus López (Doc. II). Post tres fere annos, mense scilicet

(28) Cfr *Spic. Hist.* 10 (1962) 334. Hoc praedium subministravit S. Alfonso, militiam ecclesiasticam amplectenti, titulum sacri patrimonii. Universa tamen quaestio palatiatarum domuum atque praediorum, Marianellae ad diversas familias de Liguoro pertinentium, indiget ampliore tractatione.

(29) Ecce initium actus notarilis: « Eadem die 11 martij 1716... Costituto... il m.co Filippo Loffrano gioielliero... confessa ritrovarsi debitore all' Ill.mo Sig. D. Giosepe de Liguoro, capitano della galera Padrona della Squadra di questo regno di Napoli presente... docati cento venti, convenuto prezzo in presenza nostra d'un anello d'oro con sei diamanti fini legato in oro, dal d° Ill.mo Sig. D. Giosepe vendutoli in presenza nostra ad esso m.co D. Filippo... Quali doc. cento venti esso m.co D. Filippo... s'obliga pagarli al d° Ill.mo Sig. D. Giosepe in fine d'un anno da hoggi avanti... ». Arch. di Stato, Not. Domenico Venettozzi, an. 1716, f. 92.

novembri an. 1717, D. Iosephus de Liguoro coronavit sua proposita, tum instrumentum emptionis ante publicum notarium subscribendo, tum coram ipso actus possessionis legalis exercendo (Doc. III). Hanc ergo palatii descriptionem (Doc. IV) qui contulerit cum alia facienda post centum et amplius annos (Doc. XII) tenebit prae manibus speculum historicum indubium ad domum subporticus etiam hodie dignoscendam.

3. - *Post annum 1717 domus vicissitudines: primo locatur, mox (1727-1728) miscetur nomini S. Alfonsi eiusque sororis, denique (1728-1729) fit familiae domicilium.*

Postquam an. 1717 D. Iosephus de Liguoro sub ditione sua habuit domum palatiam, hanc saltem partim inquilinis locavit donec recurrente decennio contigit extra portam S. Ianuarii infortunium publicum, videlicet ex collibus vicinis desiluit copiosa ac potentissima alluvies, cuius aquae inudarunt ac devastarunt viculos inferiores: in ea namque urbis regione, nondum ad vitam civilem plane conformata, eiusmodi torrentes devenerant adeo communes ut eorum iacturae mutarentur in proverbium (30).

Gravitas alluvii mensuratur ex effectibus ab ipso D. Iosepho sublineatis. Anno siquidem 1727, mense octobri, vespere nocteque diei septimi ac mane diei octavi imber turbidus atque effrenatus conquassavit ad subporticum López plura aedificia, quorum alia in ruinam abierunt, alia dumtaxat in periculum collabendi: hoc quidem discrimen incubuit minax palatio D. Iosephi, unde cum eiusdem licentia discessisse narrantur inquilini (Doc. VII). Existimamus porro minus probabile quod ille tunc temporis fuisset discedentium coinquilinus.

(30) Aquarum colluvies in suburbio Virginum progignebat, ultra alia incommoda, publicum nocumentum de quo agit an. 1762 officialis consultatio: « Li Governatori degl'Incurabili affinché in tempo di pioggia dalle lave, che vengono da Capo di Chino e dal Cavone di Miano e si uniscono nella strada del luogo detto l'Ottocavalli..., non venga impedito il passaggio del carretone che porta i cadaveri al camposanto, dimandarono al Tribunale della fortificazione che facesse un ponte... Essendo la strada che deve fare il carrettone per fuori la Porta di S. Gennaro e dovendo in tempo di pioggia passare pel luogo, donde scorre la gran lava del Borgo delli Vergini, deve per' necessità aspettare che scemi questa lava per passare... ». Arch. di Stato, Napoli, Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio, v. 291, nov. 1762. - Recens viarum historicus sublineat: « Vergini è un plurale maschile... Celebre, passata in proverbio per le sue funeste ruine, fu la lava dei Vergini. Infatti, nei periodi di pioggia confluivano ivi le acque di Antignano, dello Scudillo, di Capodimonte, di Miradois, formando un violentissimo torrente, che tutto abbatteva nel suo corso, talvolta facendo vittime umane... I Napoletani, che non difettano certo di arguzia, quando vogliono dire scherzosamente di qualcuno che sia unico nel suo genere, affermano: « Ce n'era un'altro solo, ma se lo portò via la lava dei Vergini ». G. DORIA, *Le strade di Napoli* (Napoli 1943) 495.

Domus iacturam memoramus propterea quod ansam dedit ut S. Alfonsi eiusque sororis monialis nomina miscerentur coram notario singulis actibus praefatam domum respicientibus. Ad S. Alfonsum quod spectat, eum comperimus curis apostolicis distentum illis diebus, scilicet a die 25 octobris usque ad diem 3 novembris collaborantem in ecclesia cathedrali missioni generali annuae, cuius meditationes matutinas ipse populo tradidit (31). Illius autem pater D. Iosephus, profecturus cum regiis triremibus ad praesidia militaria in littore Etruriae roboranda, delegit die 20 octobris ac nominavit procuratorem suum in urbe S. Alfonsum, praetermisso fratre iuniore D. Hercule. Procuratio in id collineabat, ut domum palatiam post « diluvium » fatiscentem vendere posset delegatus eodem, quo empta fuerat, pretio ante tabellionem olim conductio, detractis autem auctionibus sive meliorationibus aedium seorsim computandis (Doc. VI).

Procuratorium hoc testimonium efferimus tanquam fiduciae et mutui amoris signaculum inter D. Iosephum de Liguoro eiusque filium S. Alfonsum, et quidem intra primum sacerdotii annum et postquam novellus missionarius die 7 februarii eiusdem anni 1727 abdicaverat cuncta sua iura primogeniturae in beneficium fratris sui D. Herculis (32): publica sane procuratio diluere videtur diffidentiae atque amaritudinis nebulas, quae primis sacerdoti annis perstitisse dicebantur inter patrem et filium postquam S. Alfonsus, pertaesus mundi ac non parcens gentis suae votis, mancipaverat sese Dei atque Ecclesiae servitio.

Ceteroquin palatii venditio, arbitrio S. Alfonsi absentis mandata per notarilem procuracionem, abiise in cassum praesumitur, quippe quod initio anni sequentis D. Iosephus providit aedificii fundamentis (*dalle pedamenta*) ex proprio penu reparandis (Doc. VII). Ad haec, sub finem eiusdem anni 1728 et quidem ante festum Natalis Dominici ipse percepit suumque reddidit mutuuum 300 duc., signatum quidem nomine filiae suae monialis D. Mariannae (Doc. VIII) sed gravatum hypothecâ circa domum palatiam. Quod autem D. Iosepho porrigeret sanctimonialis summam capitalem

(31) Cfr. *Spic. Hist.* 8 (1960) 420.

(32) *Spic. Hist.* 5 (1957) 237 ss. - Ceterum relationes intimiores, sicut in quavis familia, induebant aspectus paululum speciales. Ita die 14 februarii eiusdem an. 1727, octo diebus post S. Alfonsi abdicacionem, signatur ante notarium « conventio D. norum D. Iosephi et D. Ercolis de Liguoro » (*emancipato dalla sua patria potestà*), cuius gratia pater promittit filio « adsignationem annuam » intuitu matrimonii faciendi, non aliter. Arch. di Stato, Napoli, Not. Carlo Palmieri, an. 1727, f. 41. Promissio includebat « altri annui doc. cento cinquanta... dopo la morte del Sig. D. Domenico de Liguoro, loro padre ed avo rispettive »: senex ergo D. Dominicus agebat adhuc inter vivos.

parcimoniâ suâ adunatam, minime stupet intra illius aetatis mores et iuxta agendi rationem DD. Mariannae et Mariae Aloysiae, alias a nobis illustratam (33).

Quae dum geruntur, accidit eodem anno 1728 duplex funus familiare: die namque 6 martii vitam cum morte mutavit D. Dominicus de Liguoro, die autem 26 augusti D. Hieronyma d'Amico, illius vidua (34): uterque erga S. Alfonsus non modo avorum titulo magnificandus, verum etiam extollendus quasi domicilii communis praeses, saltem si fundatam ducimus opinionem hucusque validam (35). Utcumque res sit, constat quod post utriusque obitum et postquam refecta est domus palatiata in subporticu López, membra familiae de Liguoro fiunt studioso historico obvia apud sedes determinatas et posthac indubias: eternim si S. Alfonsus mense maio vel iunio a. 1729 recessit a domesticis laribus, convicturus suis expensis inter alumnos S. Familiae seu collegii « Sinensium »: ex opposito frater suus D. Hercules, postmodum familiae ductor ac decus, constituit suum domicilium ad subporticum atque texere coepit aut perrexit praesagas sponsalium tricas, quae anno 1732 illum redegerunt — S. Alfonso probante connubium — ad nuptias parum fortunatas cum sibi consanguinea D. Cleria seu Rachele de Liguoro, vidua annis et filiis onusta.

4. - *Post annum 1732 subporticus López fit primum quasi hospitium S. Alfonsi eiusque sodalium missionariorum.*

Decurrente ergo anno 1732 eveniunt unum post alterum duo facta memorabilia: mense iunio matrimonium inter D. Herculem de Liguoro et D. Cleriam seu Rachelem de Liguoro, mense autem novembri initium Congregationis missionariae, a S. Alfonso suscitatae in oppido Scalae supra littus amalphantanum. A priori coniectare licet S. Fundatorem, deinceps per semisaeculum et amplius moraturum extra Neapolim, rediisse ad subporticum López quoties ministerii apostolici causa aut negotiorum tyrannide cogebatur in

(33) *Spic. Hist.* 4 (1956) 22.

(34) Ecce actus defunctionis: « A 6 di marzo 1728. D. Domenico de Liguoro, marito di D. Geronima d'Amico, doppo ricevuti li SS.i Sacramenti, passò à miglior vita: et il suo corpo stà seppellito nella chiesa della Misericordiella fuori la porta di S. Gennaro ». Arch. Parr.le S. Angeli ad Signum, Lib. II Mort. (1691-1760) f. 87v. - Per accidens sublineamus quo pacto usus ille fieri hypogeo gentis de Liguoro in ecclesia S. Mariae « della Misericordia ». - Illius uxor commemoratur: « A 26 agosto 1728. D. Geronima d'Amico, moglie del qm. D. Domenico de Liguoro, doppo ricevuti li SS.i Sacramenti, passò da questa à miglior vita: il suo corpo stà seppellito nella nostra parrocchia ». *Ibid.*, f. 88v.

(35) Cfr D. CAPONE, l. cit. supra (nota 2) 77-79.

urbe sistere : eo magis ad reditum premebatur, quod vigil dilectissimae matris suae cura visitationem parabat et urgebat. Hinc, v. gr die 2 septembris an. 1737 D. Anna filium suum Alfonsum prae-mouit se optare illum domi excipere in diversa subporticus contignatione (« *siamo ivi passati quest'anno al quarto di basso* ») (36) : zelans namque missionarius e conventu suo Iuranensi (Ciorani, prov. Salerno) Neapolim sese transferre debebat, ut in ecclesia Spiritus Sancti a die 26 octobris ad diem 6 novembris concionem maximam populo haberet tempore missionis generalis (37). Nactus ergo opportunitatem, solamen absque dubio attulit matri, etiamsi anno praecedente adseruisset per epistolam se focos maternos non quaerere (38).

In eadem epistola memorat S. Alfonsus D. Ioannem Olivieri, amicum suum et clientem spiritualem, cuius successiva domicilia semper patuerunt hospitando S. Fundatori (39), qui non raro ea caritatis perfugia praeponerat commodis familiae suae ob aptiorem loci opportunitatem aut propter alias rationes nobis ignotas. Ita factum est mensibus aestivis an. 1747, cum plures hebdomadas ille transegit Neapoli exploraturus tramites consequendi pro Instituto suo regiam adprobationem : quo temporis intervallo non solum ipse hospitio interdum recipiendus erat, verum etiam frater coadiutor Franciscus Tartaglione aut interdum P. Caesar Sportelli vel clericus D. Caelestinus de Robertis (40).

Pressus ergo circumstantiis querebat hospitalitatem, modo ad subporticum López, modo ad temporaneas D. Ioannis Olivieri mansiones. Circa subporticum López prostant adsertiones parochi « dei Vergini » et amici D. Ioannis B. Coppola (41) necnon coaevi

(36) A G XXIX. VI. 11 (Int. 22) : « Poi mi avvisarà alli quanto del mese di ottobre : che mi ritrovi io in Napoli alla casa delli Vergini, che siamo ivi passati quest'anno al quarto di basso ». - Ex parte sua D. Iosephus de Liguoro adiungit post-scriptum : « Figli-mio : t'abbraccio con il cuore, et ho inteso con molto mio gusto di (?) dover venire quest'inverno a predicare allo Spirito Santo ».

(37) Cfr *Spic. Hist.* 8 (1960) 442.

(38) Ad quamdam monialem, quae sanctum missionarium rogaverat ut e domo Iuranensi (Ciorani, prov. Salerno) accederet ad Camigliano prope Capuam, respondit ipse die 26 septembris an. 1736 : « Io non vado a veder né mia madre, né niuno ». *Lettere di S.A.*, I, 57.

(39) D. Ioanni Olivieri dicabo communicationem seorsus ferendam. Cfr infra, pp. 207-217.

(40) Cfr KUNTZ, III, an. 1747, f. 151.

(41) Rev. mus D. Ioannes B. Coppola, episcopus Cassanensis, olim parochus S. Mariae Virginum, declarat : « Essendo io parroco di S. Maria delle Vergini di d^a città di Napoli, nel di cui distretto sta il palazzo di suo fratello germano D. Ercole de Liguori, quando veniva talvolta egli a Napoli lo conosceva in detta casa ». - Nucarina... Super virtutibus... Summ. n. 5. Romae 1806, 42. Ad rem P. Coelestinus de Robertis : « Nell'anno poi 1747, essendogli io di conserva ed abitandosi allora nel sottoportico di López nel palazzo del defunto D. Ercole, diede gli esercizi spirituali... alla parrocchia delle Vergini, facendo l'istruzione il canonico Sersale ». A G. XXVI. 63.

P. is Tannoia (42), tametsi eorum aliorumque effata haud semper distinguunt accurate domum palatiam subporticus López ab alia domo recentiore in via S. Mariae ante saecula, de qua agam inferius.

Facile intelligimus cur, stante S. Fundatoris patrocínio super sodales suos atque cooperante familiae de Liguoro diffusiva caritate, devenerit domus ad subporticum López commune missionariorum quasi hospitium (43): saltem de facto, quia ei defuit signaculum plus minusve iuridicum, quo cincta postmodum fuit concessio veri hospitii facta Congregationi SS. Redemptoris in domo palatiata S. Mariae ante Saecula. Intra hoc subporticus per fugium recolare iuvat casum notabiliorem: quando nempe ibidem comparuisse ac vixisse praesumitur S. Gerardus Maiella. Enimvero an. 1753 munia procuratoris Instituti gerebat P. Franciscus M^a Margotta, vir annis atque religiosis exercitiis maturus, cui S. Alfonsus demandaverat Neapoli partes suas: idcirco etiam adsignaverat in palatio López mansiones («*uno scomodo quartino*», nobis dixit P. Tannoia), prout innuere videntur litterae, in archivio nostro generali exstantes, quas Paganis die 18 septembris praefati anni 1753 dedit P. Pasqualis Amendolara hac inscriptione: «Al Rev. do P. D. Francesco M^a Margotta della Congregazione del SS. mo Redentore al Su Portico [*sic*] di López sopra la Taverna» (44). Iam vero: mense iulio sequentis anni missus est apud illum tanquam comes et famulus S. Gerardus Maiella.

Tum vero post annum 1753 reserata est pro D. Hercule de Liguoro nova domus palatiata, ad quam transferre debebat domi-

(42) In processu apostolico S. Agathae narrat P. Tannoia: «Ritornando dalle missioni, forse non essendo ancora fondata la Congregazione, e ritirandosi in sua casa lo fece sopra un somaro. I lazzarelli al largo de' Vergini, ove i suoi abitavano... cominciarono a fischiarli». Ibid., l. cit. 330. - Ipsemet P. Tannoia in sua biographia insinuat semel atque iterum domicilium, etsi non nimis indubium: «Un giorno ritornando nel fior di mezzodi, divenuto un pezzo di fuoco, dall'udienza del marchese Brancone, e non era poco il tragitto da palazzo alla parrocchia de' Vergini». «[TANNOIA] *Vita*, lib. II, c. 27, ed. 1798, 189. Intelligi debet palatium regium prope littus maritimum aut palatium marchionis Brancone ad S. Iacobi «degli spagnuoli». Quod autem ibidem (p. 187) sistitur S. Alfonsus «nel chiostro di S. Caterina detta a Formello» progignit quamdam difficultatem, si id temporis (an. 1747) in viciniis morabatur D. Ioannes Olivieri, qui erat sodalis eiusdem associationis atque apud ipsam sepeliri mox voluit.

(43) Vocabulum «ospizio» usurpatur et qualificatur a P. Tannoia, qui eodem utitur dum commemorat visitationem a S. Alfonso peractam post missionem Marianellae, id est, anno 1751, nondum acquisito palatio S. Mariae ante Saecula. Ait Tannoia: «Consolò ancora Alfonso in questo tempo [*versus an. 1751*] colla santa missione il casale di Marianella... Al ritorno, passando per Napoli, andò a scavalcare nel nostro ospizio, cioè in uno scomodo quartino di casa sua, cedutane ai nostri per limosina l'abitazione dal fratello D. Ercole. Era quello avanti la parrocchia delle Vergini». [TANNOIA], l. cit., lib. II, c. 36, p. 236. - Hoc factum enarratur, fere iisdem verbis, a Rev. mo D. Paulo di Carlo, episcopo oppidi Castello della Baronia. A G XXVI. 3 a.

(44) A G XVIII. B. 4.

cilium ex subporticu López; attamen non absque animi certamine ac dolore, sicuti modo videbimus.

III

DOMUS PALATIATA S. MARIAE ANTE SAECULA, ALTERUM S. ALFONSI EIUSQUE SODALIIUM HOSPITIUM NEAPOLITANUM.

I. - *Palatium transit in ditionem fratris S. Alfonsi.*

Circum annos, quibus ad subporticum López concedebatur de facto missionariis alfonsianis primum quasi hospitium, provisum fuit et alterum, mox etiam de iure donandum. Eiusdem locus, tunc diversimode expressus (45) defigebatur in eadem urbis regione extra moenia, immo intra eandem S. Mariae Virginum paroeciam, proximior autem ad radicem collium ac fere sub umbra monasteriorum S. Mariae « alla Sanità » et S. Severi. Quoniam aedificium situm erat in angulo seu « cantone » viarum S. Mariae « dell'Arenaccia » et S. Mariae ante Saecula (alii, ad Saecula; alii, a Saeculo; immo, a Sicula), sumebat nomen unius vel alterius: quandoque reddebat sibi proprium agnomen palatiorum circumstantium: Traietto, Sanfelice (46).

(45) Sicuti non semel inuimus, modus quo illa aetate describebatur cuiusvis personae domicilium haerebat incertus atque « adproximativus ». Ecce in casu nostro quaedam tabellionum indicationes, eundem locum diversimode exprimentes: « Die 30 ianuarii an. 1739... in suburbio Virginum in palatio infrascripti Ill.mi D.ni D. Dominici de Liguoro, sito in principio platheae nuncupatae di Traietto ». Arch. d Stato, Napoli, Not. Carlo Stefano de Vivo, an. 1739, f. 14v. - Item: « Die 27 augusti an. 1740... In primo appartamento Palatij D.ni D. Dominici de Liguoro, ubi dicitur l'Imbrecciata di Traietto... ». Ibid., an. 1740, f. 84. *Imbrecciata* valet idem ac tractus viae publicae, cuius pavimentum solidatur saxis quadrilungis (*breccia*). *Traietto* in dioecesi Gaetae (Gaeta) erat locus seu « terra », quattuor casualibus constans, cuius regimen pertinebat ad familiam Carafa. Quoad palatium scripsit Bart. Capasso: « Palazzo detto di Traietto... Nel largo dei Vergini, al bivio tra la strada della Lava e la strada che va a Capo di Monte ». *Catalogo della mostra di topografia in onore di Bart. Capasso*, Napoli 1930, 32. - Prehendamus succincte alios tabelliones: « Die 10 martij an. 1744... L'Ecc.mo Sig. D. Domenico de Liguoro di Giuseppe, patrizio di Portanova... possiede una casa palazzata, sita nel borgo de' Vergini nella strada per cui si va alla chiesa di S. Maria della Sanità... ». L. cit., Not. Nicola Infante, an. 1744, f. 15v. - Item: « Die 19 aprilis an. 1752. A preghiere dell'Ecc.mo Sig. D. Domenico de Liguoro, patrizio di Portanova, personalmente ci siamo conferiti nella sua casa, sita nel borgo delle Vergini e propriamente nella strada detta l'Arenaccia ». Ibid., Not. Gennaro Infante, an. 1752, f. 48v.

(46) Super hac urbis regione Cfr C. CELANO, *Notizie, Giornata Settima*, Napoli 1758, 84 ss.: « Chiamasi questa strada di S. Maria a Secola, così detta dal volgo: ma dir si dovrebbe S. Maria a Sicula ». Super familia ducis Traietto Cfr notam praecedentem. - De palatio Sanfelice notat C. Celano (l. cit.): « Vedesi il palazzo del fu Sig. D. Ferdinando Sanfelice, per propria abitazione, il quale è riuscito de' cospicui della nostra città ». *Amicitiam huius familiae Sanfelice cum S. Alfonso memoravimus apud Spic. Hist.* 8 (1960) 397 (nota 5), 431. - Rev.mus Antonius Sanfelice, cuius sensum et canscientiam pastoralement novit ac miratur S. Alfonsus, rescripserat suis dioecesanis (Nardò) initio episcopatus: « Io ben sò, diletteissimi, che voglia dire Vescovado...; l'aver girato molte diocesi per l'eserci-

Palatii sortes iunguntur strictim cum nostra historia. Etenim inter viros eximios cognomine Liguoro decoratos, S. Alfonsi coevos ac versus hunc patruo quodam ligamine adstrictos, micat D. Dominicus de Liguoro « di Giuseppe » (47). Is non semel hisce nostris commentariis iam occurrit (48) ac fortasse adhuc occurret, quippe qui sat longo vitae suae decursu (1674-1752) tenuit primas partes gentis de Liguoro ubique locorum: in sedili Portae Novae, apud sodalitiū S. Mariae Misericordiae, inter confratres ecclesiae Montis Calvarii, coram sociis paroeciae S. Mariae Virginum. His adde suum oeconomicum Marianellae et Neapoli verticem, eo magis appetibilem quod ex uxore D. Anna Salerno filios suscepisse non videtur: unde apud multos orta erat spes hereditatem illius refluendam fore in beneficium nepotum, quatenus ipse — inter octo legitimos fratres et sorores baptizatus (49) — noverat quoque multiplicem nepotum turmam.

Ex nepotibus siquidem femineis D. Dominicus tum praediligebat D. Cleriam seu Rachelem de Liguoro, ex fratre suo Vespasiano natam (50): quam Rachelem, a die 17 ianuarii an. 1716 D. Blasii Lanza — patritii Capuani (Capua) — uxorem; postea, a die 14 martii an. 1732, viduam 38 annis ac quinque filiis vivis anxiam excepit in domo sua palatiata praelaudatus D. Dominicus: quin etiam, hanc ipsam nepotem non modo solari voluit, verum etiam reficere et gubernare ut novas nuptias consereret cum viro sibi propinquo — 4° et 5° gradu — D. Hercule de Liguoro, S. Alfonsi fratre. Utriusque capitula matrimonialia signata sunt die 15 iunii praefati anni 1732, et quidem « proprie in suburbio Virginum in palatio Ill. ris D. Domini de Liguoro, ubi dicitur il principio dell'Imbrecciata di Traetta... » (51). Abest inter testes S. Alfonsus, qui operam suam contulerat perficiendo processui

zio delle sante missioni e l'essersi serviti della mia debolezza tanti Eminentissimi arcivescovi di Napoli, m'ha fatto sperimentare quanto difficile e pericoloso sia l'ufficio di Vescovo, specialmente a' tempi nostri ». Arch. Vaticano, Fondo Finy, v. 8, Int. 24.

(47) Ipsemet D. Dominicus connotat patris sui D. Iosephi nomen tanquam discriminans se ipsum ab homonymis coevis, quos inter distinguebatur iisdem diebus ac fere in iisdem locis D. Dominicus de Liguoro, avus S. Alfonsi atque pater D. Iosephi de Liguoro.

(48) Cfr. *Spic. Hist.* 7 (1959) 211, 212 (nota 21).

(49) *Ibid.*, l. cit., 211.

(50) *Ibid.*, l. cit., 212 (nota 19).

(51) Arch. di Stato, Napoli, Not. Domenico Venetozzi, an. 1732, f. 170 « Stipulatorum capitulorum matrimonialium D. nae Cleriae seu Rachelis de Liguoro cum D. no D. Hercule de Liguoro ». Mense praecedenti, die 10 mensis maii, D. Iosephus de Liguoro, praescius se cum navi praetoria (comandante della galera capitana della Squadra) ex urbe profecturum delegit D. Hyacintum del Balzo (suo stimatissimo cognato) quasi procuratorem ad subscribenda D. Herculis capitula matrimonialia. - Documenta haec olim transcripsimus publicationi destinata.

matrimoniali atque subtexendae utriusque sponsi genealogicae propagini seu « arbori » (52).

Haec igitur D. Dominici affectio versus nepotem D. Rachelem, aucta promissione expressa (at non scripta) hereditatis fuit causa motiva matrimonii iuxta declarationes factas ab ipsomet D. Hercule post viginti coniugii annos (53). Evenit porro die 19 aprilis an. 1752 quod D. Dominicus de Liguoro iam iam moriturus condidit postremum suum testamentum, cuius clausula praecipua — praecedentem donationem anni 1744 confirmans — instituebat bonorum suorum heredem universalem sodalitiū atque nosocomium B. M. V. « della Misericordia »: heredes autem particulares designabat novem ex diversis fratribus vel sororibus nepotes, quos inter accensuit ultimo elenchi loco D. Rachelem de Liguoro.

Res graviter decepit D. Herculem, qui detulit causam Sacro Regio Consilio, immo deliberavit de rege adeundo, ut testamentum D. Dominici mutaretur: consiliis tandem prudentibus amicorum et fortasse etiam fratris sui Alfonsi (54) acquievit atque, cum esset socius et ex familia sua membrum conspicuum praefati Pii Sodalitii, facile ab huius tribus gubernatoribus obtinuit die 18 aprilis an. 1753 quod sibi, prae aliis bonis, in emphyteusim concederent domum palatiam, in qua habitaverat demortuus D. Dominicus et de qua nos docet notarile instrumentum: « Un palazzo grande e palazzetto accosto di esso ed altre casette contigue al d° palazzo grande, sito in questa città nel Borgo delle Vergini, e proprio nel luogo denominato l'Arenaccia, facendo il med° cantone a due strade che portano l'una alla sud^a Arenaccia, e l'altra al Ven.le Monastero di S. Maria a Seculo... » (Doc. XI).

(52) Arch. di Curia, Napoli. Processi Matrimoniali, an. 1732: « Matrimonium inter D. Herculem de Liguoro et D. Rachelem de Liguoro ». - In alio documento testatur parochus de gradu consanguinitatis inter nupturientes, in alio autem ipsemet S. Alfonsus textit utriusque genealogiam.

(53) « Il solo motivo... fusse stato d'haverli d° qm. D. Domenico assicurato della sua eredità: sicché la sua promessa esser doveva giusto compenso della poco [*sic*] o nessuna convenienza di dote, della veduità e numero de' figli, non meno che dell'avanzata età dell'istessa D. Rachele ». Instrumentum notarile adiunximus iis, de quibus in nota 51. Praecitatus processus paroecialis an. 1732, ante matrimonium, accensuit D. Herculi 26 annos, D. Racheli 38 annos: aliunde novimus D. Rachelem attulisse quinque filios vivos ex praecedenti matrimonio.

(54) D. Herculis matrimonium, eventus praegnans consequentiis in familia S. Alfonsi, coëgit sanctum missionarium ad mediationem inter fratrem et utriusque patrem. D. Iosephi absentia, de qua supra (nota 51), nescio utrum unice tribuenda sit exigentiis officii sui militaris an etiam displicentia ob tale matrimonium: etenim die 30 septembris eiusdem anni 1732 signat coram notario actum, quo « cassa, irrita ed annulla la procura per esso fatta li mesi passati in persona dell'Ill.re S.r D. Ercole de Liguoro suo figlio per poter esiggere... rendite et entrate... ». Arch. di Stato, Napoli, Not. Domenico Venettozzi, an. 1732, f. 408. His in adiunctis plane perspicitur mediatio S. Alfonsi (*Lettere*, I, 66), modo dubium editoris solvatur adiudicando epistolam anno 1732, quando Neapoli adfuit ille a die 25 octobris. Cfr *Spic. Hist.* 8 (1960) 436-437.

Peractis porro in hac amplissima domo palatiata reatauratio-
nibus necessariis, devenit posthac sedes urbana ac centrum acti-
vitatibus D. Herculis de Liguoro, qui sub eodem tecto conclavium
« nobilium » aut in attiguis contignationibus accommodasse videtur
familiae membra, ac prae primis D. Annam matrem dilectissimam
ac fratrem sacerdotem D. Caietanum: mater siquidem piissime
obiit die 28 novembris an. 1755, octoginta quinque annos nata.

2. - *S. Alfonsus tum pro se ipso iam Episcopo, tum pro Instituti
sui alumnis constituit in hoc palatio hospitium separatum.*

A priori cogitare licet sanctum Fundatorem, coactum non
semel ire Neapolim ibique deversari, maluisse quaerere novum
fratris sui tectum benevolum quam ingredi domos alienas aut pu-
blica cauponia: cuius praelationis non desunt indicia. Ita factum
est die 30 octobris an. 1760 quod, subscripturus coram notario
instrumentum ad acceptandam cappellaniam D. Ioannis Ciceri,
illud ratum habuit atque perfecit « in superiore appartamento
domus palatiatae Ill.mi D.ni D. Herculis del Liguoro, sitae in
principio platheae Ven. Monasterii S. Mariae ad Saecula... » (55).

Nondum transacto biennio, vixdum S. Alfonsus iugo epis-
copatus vinciebatur, postulavit ipse die 21 martii an. 1762 a fratre
suo D. Hercule, ut in praeindicata domo palatiata sibi adiudicaret
unum alterumve inferius cubiculum ad visitatores nobiliores digne
excipiendos; at simul fratri suo instillavit reservanda esse concla-
via superiora sodalibus Instituti ibidem hospitio recipiendis (56).
Quae sane reservatio ex tunc signata est de facto, nimirum stante
practica et benevola D. Herculis concessione, quin tamen hac via
fieret satis menti iuridicae atque experientiae sancti Fundatoris,

(55) Cfr A G Historia, XVIII. A. Ciorani, Cappellania Ciceri. - Nimis generice proinde
scribit P. Tannoia: « Ancorché il fratello abitasse nel quarto sottoposto a quello che da noi
si abitava, non vi fu caso nelle tante volte che fu in Napoli, che calato vi fosse per visi-
tarlo ». *Vita*, lib. III, c. 16, Napoli 1800, 77. - Immediate subiungit factum, quod evenisse
praesumimus an. 1761 pervigilio foundationis in Sicilia: « Un'anno essendo capitato in
Napoli col nostro P. Pentimalli, e ritrovando chiuso il nostro ospizio, contentossi mangiar
pane e frutta nel mezzo alla scala ». Vide *Spic. Hist.* 5 (1957) 72: super colloquio S. Al-
fonsi-Pentimalli Neapoli habito post procellam in littore Prochidae et Baiae, minime autem
in sinu Panormi, prout P. Tannoia (lib. II, c. 49, 299) nobis narravit.

(56) « Quando vengo in Napoli, mi basterà una o due camere dentro lo stesso quarto
vostro di basso, dove posso ricevere poi qualche nobile che viene a trovarmi: perché il
quarticello di sopra resterà per li compagni, e d'altra parte non è cosa per me e per la
gente che verranno a trovarmi ». *Lettere di S.A.*, I, 470. Ceterum ipsemet in epistola hucu-
sque inedita (vide supra p. 17) dicit ad amicum pictorem: « Napoli 6 maggio. Io sto
alla casa di Liguoro alli Vergini, vicino al palazzo di San Felice (all'ultimo appartamento)
e portati i pennelli ».

qui idcirco semel atque iterum deprecatus est illum ut locationem transeuntem mutaret in conventionem stabilem ac legalem.

Enimvero ex testimonio P. Fabii Buonapane docemur quod an. 1773, dum episcopium Argentii (Arienzo) visitaret D. Hercules cum filiis suis, eidem renovavit sanctus Praesul supplicationem de largienda missionariis SS. Redemptoris superna contignatione domus palatiatae «all'Arena» (57): cuius testificationem, fortasse minus certam quoad annum ab illo adductum, invenimus corroboratam an. 1775 ab ipso S. Alfonso, qui dioecesi iam valedicturus ac reddens fratrem suum de abdicatione sedis certiore rogabat illum instanter per epistolam, ut «ex caritate» aperiret ac iuridice reseratum declararet domus suae aditum sodalibus Instituti (58): qui quidem in palatio hospitari perrexerunt, quandoquidem mense novembri sequentis anni 1776 vetuit sanctus Fundator quominus missionarii Neapoli agerent noctem extra palatii mansiones (59).

Interim D. Hercules de Liguoro sibi complacuerat instituere duplex domicilium suum legale: aliud Marianellae, ubi ab an. 1764 baptizati sunt cuncti filii ex secundo suo matrimonio geniti et ubi ipse pie obiit die 8 septembris an. 1780: aliud autem Neapoli in praenoto palatio, cuius contignatio «nobilis» et singula cubacula perlustrantur a viris «locuplentibus», id est, a compilatoribus Inventarii, ubi post D. Herculis obitum recensentur eiusdem bona mobilia et singulorum conclavium suppellex familiaris (60). Apud

(57) Ait P. Buonapane: «In d° anno 1773 al mese maggio, venuto don Ercole coi figli in Arienzo, me gli fece parlare colà e poi me gli fece scrivere dopo che si restitù a Napoli, che dopo la morte di Monsignore avesse fatto godere ai PP. l'Ospizio del Palazzo alla Arena sotto quello di Sanfelice. Il che promise con piacere e gentilezza don Ercole, come dalla lettera direttami, che si conserva nell'Archivio di Nocera, in risposta: di che si consolò Monsignore e che gli fece fare altra lettera di ringraziamento con significarsi il piacere provato da Monsignore. Ed il d° don Ercole in morte col testamento sento che l'abbia raccomandato all'erede». AG XXVII, 22. - In eodem fere loco Archivi Generalis (AG XXVII, 9 a-e) declarat Frater Leonardus: «In Napoli dacché se ne uscì non andiede mai ad abitare in casa sua. Per limosina chiese a D. Ercole il più sconcio quartino, che si aveva nell'ultimo piano del Palazzo per comodo suo e de' nostri. Ritirandosi doveva fare una scala di gradi sessanta, ed erta al non più». Alludit Frater Leonardus ad tempus praecedens episcopatum.

(58) Ad fratrem suum die 29 iunii an. 1775: «Vi prego poi ad aggiustare da ora quella carità che volete fare agli Padri miei dell'ospizio: perché se Dio vi chiamasse senza darvi tempo di lasciare le cose disposte, i Padri miei non avranno niente». *Lettere*, II, 351-352.

(59) «Avvertano tutti, ritrovandosi in Napoli, di non restarsi la sera a dormire fuori del nostro ospizio». - *Ibid.*, 394.

(60) Ecce Inventarii tituli cum singulis cubiculis recognitis: «Casa di Napoli, sita nella strada dell'Arena della Sanità. - Nella sala. - Nell'anticamera. - Nella galleria. - Nella camera d'appresso alla galleria. - Nella camera dove si dorme. - Nelli due camerini a mano destra. - Nel camerino a mano sinistra. - Nella camera prima della cucina. - Nella cucina». - *Protocolium integrum in lucem edetur.*

D. Herculis heredem ac filium D. Iosephum de Liguoro iuniorem atque in iisdem aedibus palatiatis, at in angulo separato (« nel quartino matto ») die 10 septembris an. 1784 dictavit notario suum ultimum testamentum D. Caietanus de Liguoro sacerdos, D. Iosephi iunioris patruus ac S. Alfonsi frater (61).

A contignatione « nobili » independens, utpote munita accessu autonomo necnon superno scalae ambitu, contignatio missionariis destinata praebebat eisdem quasdam cellas (« poche stanze »), sine dubio modestas, at sufficientes earum muneri. Qui apud ipsas hospes fuit P. Nicolaus Dominicus Scelzi nobis enarrat hospitium istud tamdiu in usu fuisse, donec an. 1805 in festo S. Annae quassatum fuit aedificium gravissimo terrae motu (62). Tum vero, post unam alteramve experientiam hospitii in domo conducta, censuit Rector Maior Congregationis magis opportunum erigere in urbe sedem Congregationis: quem in finem, iuvante etiam S. Alfonsi beatificatione, assequutus est an. 1815 a rege Ferdinando I ecclesiam et monasterium S. Antonii a Tarsia.

3. - *Ulteriores domus palatiatae vicissitudines. Utriusque hospitii descriptio ante extinctionem familiae S. Alfonsi.*

Post S. Alfonsi obitum (an. 1787) minus nostra intersunt domus vicissitudines, quae ceteroquin miscentur cum fortuna satis lugenda D. Iosephi de Liguoro iunioris, filii D. Herculis ac principis de Pollica. Princeps iste, ab an. 1784 sibi ducens uxorem D. Guzmanam Sambiasae, ingressus est inventam beatus atque honoratus, divitiis ultra gentem suam potens nec parcens peregrinabundis (*turismo*) oblectamentis. Attamen ultimo saeculi bienio ac primo quindicennio sequenti passus est D. Iosephus angustias, infortunia et iacturas, quae universo regno et speciatim monarchiae supravenerunt, tum sub reipublicae parthenopeae regimine (1799), tum sub sceptro gallico Iosephi Bonaparte (1806-1808) et Ioachim Murat (1808-1815).

Enimvero D. Iosephus de Liguoro non respuit gentis de Liguoro fidelitatem dynastiae regnanti ideoque semel atque iterum

(61) Arch. di Stato, Napoli, Not. Gaetano Ant^o Montemurro, an. 1784, f. 416. Documentum completum edetur.

(62) « Contentossi [S. Alfonsus] di un semplice quartino di poche stanze per Ospizio, che si fè cedere dalla sua famiglia nel palazzo, sito nella salita dell'Arena della Sanità. Quivi nelle occorrenze si è abitato sempre dai nostri e dal Beato [Alfonso] medesimo, e dame ancora, fino all'anno 1805. Col tremuoto detto di S. Anna nel dì 26 luglio di detto anno si rese inabitabile un tale Ospizio ». (A G VIII. A. 6).

cum rege Ferdinando passus est exilium intra Siciliae confines : hinc in archivio Regiae Deputationis, quae praeest Thesauro S. Ianuarii, prostat Liber Aureus (*Il libro d'Oro delle Famiglie Patrizie Napoletane*), ubi cognomen « Liguoro, principe de Pollica », accensetur familiis patriis aversantibus dominium gallicum. Atamen, sive ex aliorum malitia, sive ex sua agendi ratione D. Iosephus abiit in ruinam. Saevientibus namque politicis perturbationibus bona illius in fiscum sive aerarium publicum transmissa sunt, quin postmodum legitimo domino fuerint restituta, saltem absque gravi detrimento. Pari tempore abolita sunt nobilium Sedilia, quae a saeculis gubernio civitatis consulebant et quae, propriis cuiusque Sedilis « montibus » seu sodalitiis mutui auxilii, sibi praefixerant perennare traditiones domesticas et sociales ante revolutionem praestantes. His aliisve de causis, nondum penitus enucleatis, D. Iosephus de Liguoro mansit implexus fastidiosis atque onerosis litibus, ad quas appellant sese documenta infra relata (Doc. XII).

Devinari possumus consequentias tam in vita privata quam sociali D. Iosephi de Liguoro. Cursus vitae familiaris occlusus erat sive ob diuturnum exilii intervallum sive propter alia obstacula : adeo ut illius uxor ac filia habitarent Sorrenti, et quidem usque ad mortem ; ipse autem — post exilium — teneret Neapoli domicilium. Hinc ipsius soror, D. Theresia, monialis tunc apud S. Gregorium Armenum, cautiones praemiserat an. 1817 ne suo vitalitio obveniret quid detrimenti ex deteriore fratris sui statu oeconomico (63).

Quibus antepositis sternitur via ad intelligentiam instrumenti notarilis, quo die 5 martii an. 1819 D. Iosephus de Liguoro necnon familiae complateares sedilis Portae Novae subscripserunt coram notario conventionem generalem, qua creditoribus iura sua conclamantibus fieret satis, honori autem familiae nihil irreparabile detraheretur. Huius pactionis gratia D. Iosephus de Liguoro eiusque uxor D. Guzmana perrerunt frui quibusdam iuribus : uxor etenim commorans Sorrenti ibique morti occurrens die 6 februarii an. 1842 affirmat in suo testamenti se, titulo dotis in palatio insumptae, possidere eiusdem expressam participationem : « Un'appartamento al secondo piano... nel supportico di López, numero 38 » (64). Ex parte sua D. Iosephus in eadem subporticu habuit

(63) *Spic. Hist.* 5 (1957) 52, 56. De fratribus suis Iosepho atque Alfonso adserit die 24 aprilis an. 1817 : « Domiciliati il primo fuori Regno, il secondo in Sorrento ».

(64) Arch. di Stato, Napoli, Not. Raffaele Cariello, an. 1842, f. 1. - Testamentum subscriptum fuerat die 11 septembris an. 1837. Illud notum reddere est in nostris votis.

postremam incolatus terreni domum usque ad diem 12 novembris an. 1846, quo ad superna tabernacula translatus est, aetatis suae emensus annos octoginta.

Interea fulgens S. Alfonsi sidus, coelicalarum cohorti insitum, radios quoque suos misit ad subporticum López, ubi illius imago udo illita (*affresco*) in pariete laterali reddidit olim cunctis viatoribus iucundam praesentiam familiae suae: perennem quoque sacraavit tanti Doctoris memoriam usque ad hodiernos dies, in quibus heu! abhinc duos tresve annos historica effigies, edaci aëris morsu corrosa, tandem disparuit cum ultimo calcis pugillo in viam relapso ac sub porticu sparso.

Qua de causa nihil absonum innuere iudicamus, dum proponimus adfigere in utraque palatiata domo marmoream inscriptionem, quae denuo in mentem revocet praeteritas gentis de Liguoro mansiones, prae primis commorationem S. Alfonsi. Revocatio temporis acti quodammodo innecessaria, quia annorum rota usque ad hodiernos dies incolae utriusque palatii memorant ac venerantur: ad subporticum López, habitationem seu cappellam, ubi S. Alfonsus sacrum facere solitus erat; ad S. Mariam ante Saecula (hodie n. 2-3), conclavia familiae suae necnon hospitium primitivum Congregationis SS. Redemptoris.

APPENDIX

super aliis domibus neapolitanis familiae S. Alfonsi

Ne limites aequos excedat hic articulus et quoniam minus directe cum S. Alfonso nectuntur, manent extra hodiernam tractationem caeterae familiae domus, videlicet non solum Marianellae cunabulum alfonsianum cum suis praediis illustrandum, sed etiam palatiatae domus intra urbis ambitum quomodolibet acquisitae: de quibus tamen summarium elenchum complebo.

1. - *Domus palatiata ad S. Sophiam* adscripta fuit D. Herculi de Liguoro an. 1734 ex donatione codicillari D. Francisci Liguoro-Presicce, sicuti iam pridem exposui (65).

2. - *Domus ampla in platea «del Pennino»* ligatur quadamtenus hospitio S. Mariae ante Saecula: ubi apud D. Dominicum de Liguoro, ultima die mensis martii an. 1752, convivebant D. Rachel de Liguoro et huius mater D. Francisca d'Auria, vidua D. Vespa-

(65) Cfr *Spic. Hist.* 6 (1958) 297.

siani de Liguoro. Tum vero D. Hercules de Liguoro, invocato notarii sigillo, exceptit a D. Francisca « un comprensorio di case nel luogo detto la piazza del Pennino » (66), sub censu annuo 120 ducatorum. Postquam autem D. Francisca mense maio an. 1753 occubuit morti, eiusdem filia D. Rachel die 24 ianuarii an. 1754 subscripsit cum viro suo D. Hercule conventionem, cuius gratia cessit eidem super enuntiato « comprensorio » fere cuncta iura sua (67).

3. - *Domus palatiata (comprensorio di case) ad Mercatum in vico « de Barretari ».* Accensetur inter bona stabilia quae, post annum 1765, ex praevisa extinctione familiae Cavalieri fuerunt transmissa coram notario D. Herculi de Liguoro.

4. - *Domus rustica atque magnificum praedium in casali, cui nomen Soccavo.* Pari modo et tempore accessit ad ditionem D. Herculis ex donatione familiae Cavalieri.

5. - *Domus rustica atque praedium in casali, cui nomen Piscinola, circa quae haud abundant notitiae, quia legi locationis, potius quam habitationis paruerunt.*

(66) Arch. di Stato, Napoli, Not. Domenico de Urso, 1752, f. 7-13: [Ad oram:] « Censuatio ». Die ultimo martij millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo Neapoli, et proprie in domo Ill.tris D. Dominici de Liguoro, ubi habitat Ill.tris D. Francisca de Auria... Constituiti l'Ille Sig. D. Francesca de Auria... E l'Ille Sig. D. Ercole de Liguoro, Patrio..., genero di d^a... asserisce avere un comprensorio di case, consistente in quattro appartamenti di due camere e cocina per ciascuno... nel luogo detto la Piazza del Pennino...: vi necessitano molte riparazioni, per la qual causa ha risoluto censuare la casa sud^a ad esso Sig. D. Ercole, il quale perché è marito della Sig. D. Rachele de Liguoro, figlia di essa Sig. D. Francesca, a cui doveva pervenire [la casa], perciò si è offerto di corrispondere ann. doc. cento venti di censo durante la vita di d^a Sig^a D. Francesca... ». Item in instrumento magis antiquo: « Possiede [D. Francesca] casa nella strada detta della Sellaria, e proprie all'arco del Pennino ». Ibid., Not. Carlo Stefano de Vivo, an. 1740, f. 84.

(67) Protocollo in nota praecedenti allato adnectitur copia instrumenti, quo notarius Iosephus Ant. Venetozzi die 24 ianuarii an. 1754 refert proluxe utriusque coniugis rationes. Exponit D. Hercules « che si trova creditore dell'eredità di D. Francesca d'Auria nella somma di doc. 1099..., de' quali 200 per medicamenti et altro somministrate alla qm. D. Francesca per un'anno incirca... per le penosissime infermità della med^a dovè tenere sei donne per assisterla... Essa Sig. D. Rachele ha stimato regalare al med^o D. Ercole un fiore di doc. settanta e di più cedere al med^o la metà de' beni antichi ad essa D. Rachele spettanti per l'affrancazione del censo sopra la casa alla strada di Traetto », id est, hospitii. In eodem instrumento insinuantur discussiones cum P. Iosepho de Liguoro, theatino S. Pauli Maioris et fratre D. Franciscae. Consanguineus iste theatinus benedixerat an. 1732 nuptias nepotis D. Rachelis cum D. Hercule: idem theatinus dissuasisse dicitur S. Alfonso de proposito suo amplectendi vocationem theatinam.

DOCUMENTA

I

D. Iosephus de Liguoro an. 1714 init societatem lignifero-carboniferam.

i. - Arch. di Stato, Napoli. Not. Ignazio Palomba, an. 1714, f. 296.

[*Ad oram.*:] Affictus lignandi pro Ser.mo Duca Parmae.

Eodem die nono mensis junij millesimo septingentesimo decimo quarto Neapoli... Costituto l'III.mo Sr. Conte Abb. Giuseppe M^a Caranza, Residente in questa città per il Ser.mo Sr. Duca di Parma... Et il Sr. D. Giuseppe de Liguoro, Pietro Chiantone, Nicola d'Aiello et Antonio Fiorillo... Dette Parti sono tra loro venute alla infrascritta conventione, per la quale esso Sr. Conte ha concesso in affitto il taglio delle legne dell'isole di Ponza, Zannone e Palmerola del dominio di detto Ser.mo Sr. Duca (68).

Durante il tempo d'anni cinque cominciando dal primo di novembre primo venturo del corrente anno 1714 e finiendi a l'ultimo ottobre dell'anno 1719... Per prezzo et a ragione di docati cinquanta di carlini d'affitto per qualsisia anno: quali doc. cinquanta di detti carlini d'argento han promesso pagarli quì in Napoli ogn'anno anticipatamente... Con li infrascritti patti:

In primo che il taglio del legname di dette isole debba farsi dal primo di novembre et finire nel mese di marzo di qualsiasi anno...

2. che il taglio debbia farsi con sei accette e sei huomini da cacciar legna e far carboni...: i quali huomini per carboni possano restare nelle dette isole per tutto l'anno.

3. che detto taglio debba e possa seguire nei siti che saranno assegnati dal d^o Sr. Vice Castellano di Sua Altezza: con espressa conditione che non si possa tagliar legna attorno all'isola di Ponza e precisamente verso il luogo chiamato le Formole, ove conviene lasciare un ampio sito con bosco folto che serve per difesa dell'isola medesima.

4. che la barca, la quale tragitterà le legne et il carbone sia franca et immune dall'ancoraggio, che si paga dall'altre barche.

5. che in caso di guerra vicina s'intenda sospeso detto affitto.

6. che il taglio debba essere taglio seguito senza intermissione di sito, due palmi sopra terra, acciò possa la selva germogliare più presto.

(68) *Insulae Pontiae sive Pontinae, haud nimis procul a sinu Caietae (Gaeta), censebantur quinque: Ponza, Zannone, Palmarola, Vendutena e S. Stefano. De earum historia sufficiat, pro scopo nostro, memorare haec verba geographi fere coaevi: « Nel governo del conte di Lemos [prorex ab an. 1610], per maneggi del cardinal Farnese, furono queste isole date in feudo con titolo di contea al duca di Parma. Si comprende ora come queste isole sono oggi allodiali del nostro Sovrano » [id est, regis Borbonici, virgulti ex familia Farnese] Cfr G. M^a GALANTE, *Descrizione delle Sicilie*, IV, Napoli, 1790, 168-177. - Neapoli habebat dux Parmae agentem proprium sive delegatum. M. SCHIPA, *Carlo Borbone*, I, Napoli 1923, 63.*

7. si è convenuto che se i sudetto conduttori volessero seminare qualche portione della terra, dove si sarà tagliata la legna, ò pure tenervi animali, siano tenuti alla seminazione corrispondente il terratico, e rispetto al bestiame pagare la fida a proportione del numero: il tutto da concordarsi con il sovranominato Sr. Vice Castellano.

8. et ultimo si è convenuto che il d° affitto debba continuare per cinque anni, ancorche da Sua Altezza ò suoi ministri si facesse un'affitto generale de' proventi delle sudette isole ad altra persona, non intendendosi che si rescinda il presente contratto... [*Pergunt formulae*]. Praesentibus...

2. - Arch. di Stato, Napoli. Not. Domenico Venettozzi, an. 1714, f. 254.

Die decimo septimo mensis octobris millesimo septingentesimo decimo quarto Neapoli... Costituito l'ill.mo Sig. G. Giuseppe de' Liguoro, Patritio Napoletano del seggio di Portanova, Capitano della galera Padrona della Squadra delle Regie Galere di questo Regno, et il patron Nicola d' Ajello, consigliere delle medesime Regie Galere d'una parte... Et Nicola d'Aveta e Nuntio de Guida, publici negotianti d'altra parte.

Le dette Parti con giuramento asseriscono... qualmente li sud.i Ill.mi Sig. D. Giuseppe e patron D. Nicola, unitamente con Antonio Fiorillo et il qm. Pietro Chiantone... s'affittarono dall' Ill.mo Sig. Conte Caranzi, agente generale per Sua Altezza Ser.ma il Sig. Duca di Parma et anco agente generale dell' Ill.mo Sig. Conte Santo per la med^a Altezza Sua Ser.ma... l'isole di Ponza, Zannone e Palmerola per anni tre forzati e due di rispetto... a ragione di doc. cinquanta l'anno per uso di tagliarvi legnami e farvi legne di marina e carboni, con che ogni anno dal d° primo di novembre per tutta la fine di marzo vi habbiano a fatigare dodeci huomini continuamente ogni giorno, cioè sei d'accette e sei huomini da cacciar legne e far carboni... [*Pergunt societatis vicissitudines et fiunt pactiones super stipendio operariorum*]. Praesentibus...

3. - Ibid. Not. Domenico Venettozzi, an. 1715, f. 161.

Die vigesima quarta mensis junij millesimo septingentesimo decimo quinto Neapoli... Costituti Angelo de Vito, Carlo Sanità[?], Venantio Ciccolella, Bernardino Suffoletta et Alessandro seu Santo de Massio della Terra di Pettorano, taglialegne e fà carboni..., quanto anco in nome de' loro compagni assenti da una parte. Et l' Ill.mo Sig. D. Giuseppe de Liguoro, Patritio napoletano del Seggio di Portanova, Capitano[*sic*] della galera Padrona, e Nicola d' Ajello consigliere di dette Regie Galere... Le Parti asseriscono qualmente a 17 ottobre 1714 passò istromento di conventione... [*Fit subsumptum citatae conventionis, et asseritur quod operariis dati sunt nummi, nempe:*] docati cento cinquanta... per caparra, e l'altri cento quarantacinque rimessi in Pettorano: tutti detti ducati trecento in conto del prezzo delle sudette tremila cantara di carboni et ottanta canne di legne, che dovevano fare in dette isole di Ponza, Zannone et Palmerola... [*Vicissim operarii recensent*

labores peractos, tempus insumptum et lignamina carbonesque consignatos: unde pro futuro] li detti Partitarij [D. Iosephus de Liguoro eiusque socii] promettono e s'obligano sussidiare e mantenere l'operarij suddetti provisti di tutto il bisognevole per il loro vitto quotidiano et altro necessario, e questo senza farcelo mancare e franco di porto... Praesentibus...

II

Pecuniam mutuam concedit D. Iosephus de Liguoro ann. 1715-1716 intuitu domus emendae ad subporticum López.

i. - Arch. di Stato, Napoli. Not. Domenico Antonio Avallone, an. 1715.

f.19v,-26. — Die duodecima mensis februarij anno millesimo septingentesimo decimo quinto Neapoli... Constituti... m.cus D. Joseph Scordovillo... Et Ill.mus D.nus D. Joseph de Liguoro, Patritius neapolitanus... Praefatus m.cus Joseph Scordovillo asseruit coram nobis et d° D.no D. Joseph de Liguoro se possidere titulo haereditatis qm. D.ni Claudij Musitano... duas domos palatias, consistentes in pluribus et diversis membris inferioribus et superioribus, sitas et positas in suburbio Virginum, in loco ubi dicitur il Supportico di López, iuxta bona haeredum qm. D. Joseph Corrado, bona D.ni Petri Lagni (69), RR.PP. Visitansium[*sic*] infirmorum, vulgo detto delle Crocelle (70), duas vias publicas et alios si qui sunt confines: bona franca et libera..., excepto tamen... ann. duc. sexaginta quolibet anno debitorum D.nis Joseph Lucina et D. Andreana Sotij coniugibus..., et aliorum ducatorum cinquanta et septem debitorum Collegio RR.PP. Jesuitarum hujus civitatis..., et aliorum duc. decem et septem debitorum D. Francisco Lucina... Et facta assertione praefatus m.cus Joseph ad conventionem devenit cum d° D.no D. Joseph de Liguoro... assignavit, cessit, renuntiavit d° D. Joseph de Liguoro annuos ducatos quinque cum dimidio ad rationem quinque cum dimidio per centum... ex praedictis duabus domibus. [*Pergunt prolixae formulae ad hypothecam declarandam et firmandam.*]

f.26v.-35. — Eodem die duodecimo mensis februarij... Praefatus m.cus

(69) Eodem anno 1717, die 15 maii, pie e vita decessit « l'ill.mo Sig. D. Pietro Lagni, patrizio napoletano..., dopo ricevuti i SS. Sacramenti, seppellito nella chiesa dell'Annunziata di Napoli in carrozza di notte con licenza dell'Em° Sig. Card. arc°...: dico, marito della qm. Antonia Mormile ». Arch. Parr. S. Maria dei Vergini, Lib. VIII Defunct. (1707-1730) f. 87. - Initio eiusdem saeculi fit Inventarium bonorum Exc.mi D. Caroli López senioris, inter quae bona immobilia accensetur « la mettà di una casa grande con due appartamenti inferiori e superiori, compresa nella donatione fatta dal qm. Reg.te López al qm. D. Geronimo López, nella quale sono chiamati li primogeniti di casa López ». Arch. di Stato, Napoli, Not. Nicola Zattita, an. 1703, f. 236.

(70) Quoniam Patres isti non semper citantur recte, ecce verba canonici C. Celano: « Segue alla già detta chiesa delli Vergini un'altra di S. Aspreno. Vien questa servita da' Padri Ministri degl'infermi, da noi detti delle Crocelle ». *Giornata Settima*, 87. - Et notarius illius saeculi: « Constituiti il M.R.P. Andrea Viva Prefetto..., e PP. Vocali del Collegio di S. Apreno de' RR. PP. Chierici Regolari Ministri dell'Infermi, detto le Crocelle, fuori la porta di S. Gennaro ». Arch. di Stato, Napoli, Not. Giov. M^a Altobelli, an. 1794, f. 216.

D. Joseph Scordovillo asseruit... possidere jus luendi et rehemendi[*sic*] a D.nis Joseph Lucina et Andreana Sotij coniugibus pro ducatis mille capitalis annuos ducatos sexaginta super duabus domibus palatiatis, sitis ut supra. [*D. Iosephus de Liguoro sibi acquirit ius praeferentiale pro emendis domibus*].

f.54-57. — Die vigesima tertia mensis februarij millesimo septingentesimo decimo quinto Neapoli in suburbio Virginum et proprie ubi dicitur La Croce de' Miracoli. Constituti D.ni Joseph Lucina et D. Andreana Sotij coniuges declararunt se habuisse a D.no Joseph de Liguoro, Patritio neapolitano absente ducatos mille. [*Ob cessionem iuris luendi domum palatiam*].

2. - Arch. di Stato, Napoli. Not. Nicola Zattiita, an. 1715-1716.

Anno 1715.

f.162-171. — Die 11 augusti 1715. Cessio iuris luendi pro D. Iosepho de Liguoro, qui porrigit ducatus 250 D. Iosepho Scordovillo « pro nonnullis dicti D. Joseph Scordovillo utilitatibus ».

f.171v.-177. — Eodem die 11 augusti 1715. Emptio iurium pro D.no D. Iosepho de Liguoro, qui cessit D. Iosepho Scordovillo « docati sessanta a compimento delli detti doc. cento ».

f.177v.-183. — Die 16 augusti 1715. Sessio iurium et retrovenditio pro D.no D. Iosephi de Liguoro, qui solvit debitum D. Iosephi Scordovillo.

Anno 1716.

f.209-217. — Die 4 novembris 1716. Emptio iurium pro D.no D. Iosepho de Liguoro, qui summam pecuniariam tradidit coniugibus D. Iosepho Scordovillo et D. Theresiae Salines.

f.236-245. — Die 8 decembris 1716. Emptio iuris luendi et nova retrovenditio pri D.no D. Iosepho de Liguoro, qui pactiones signat cum citatis coniugibus.

f.245-250. — Eadem die 8 decembris 1716. Emptio iurium pro D.no D. Iosepho de Liguoro, qui D. Iosepho Scordovillo cedit pecuniam mutuum « alla faggione del sei per cento ».

f. 250v.-256. — Die 9 decembris an. 1716. Cessio iurium et retrovenditio pro D.no D. Iosepho de Liguoro, qui auxilia praestat praedictis coniugibus.

III

D. Iosephus de Liguoro an. 1717 emit domum palatiam.

Arch. di Stato, Napoli. Not. Francesco Ant^o Palmieri, an. 1717, f. 545-559.

[*Ad instrumenti oram:*] Emptio pro D. Joseph de Liguoro.

Eadem die vigesima nona mensis novembris anno millesimo septingentesimo decimo septimo Neapoli... Costituiti nella nostra presenza il m.co D. Giuseppe Scordovillo di Napoli, Secretario della Regia Camera della Sum-

maria, herede universale e particolare della qm. D. Candida Musitani, figlia et herede del qm. Troyano Musitano, da una parte... E l'Ill.re Sig.re D. Giuseppe de Liguoro, figlio legittimo e naturale del Sig. D. Domenico, Patrizio napoletano, agente et interveniente parimente alla cose infrascritte per se, suoi heredi e successori dall'altra parte.

Il d° m.co D. Giuseppe Scordovillo... tiene e possiede come vero padrone una casa palatiata in più e diversi membri inferiori e superiori consistente, e proprio nell'istesso modo e maniera e segni descritta e annotata nell'apprezzo fatto dal m° Tavolario del S[acro] R[eal] C[onsiglio] Dr. Donato Pallante sotto li 22 luglio 1711 ad istanza del Procuratore de' R.R. P.P. Gesuiti del Collegio di Napoli... et il suo tenore più sotto sta inserito: situata e posta detta Casa Palatiata in questa città di Napoli del Borgo de' Vergini nel Suppartico detto di López, giusta altri beni d'esso Scordovillo, giusta li beni del Sig.r D. Carlo Lagni (71), giusta li beni delli R.R. P.P. Cruciferi (72), giusta due vie pubbliche et altri confini.

In oltre esso m.co D. Giuseppe Scordovillo have asserito similmente possedere una rimessa dentro del cortile di detta casa, la qual rimessa occupa parte del suolo del giardino della casa piccola che si possiede da esso m.co Scordovillo, attaccata a detta casa di sopra descritta, quale rimessa fù fabricata da esso m.co D. Giuseppe con danaro pervenutoli dal Sig.r D. Giuseppe Lucina, con un'altra rimessa sita sotto la detta casa piccola, che tiene la porta nella strada publica con una portione del d° giardino, con quelli medesimi alberi di frutii che presentemente vi si ritrovano, principiando dal muro di detta rimessa nova sino alle prese, che dividono detta casa grande, dalle quali prese si debba tirare a spese d'esso Sig.r D. Giuseppe de Liguoro la linea di muro a dritto sino al muro divisorio de' P.P. Cruciferi.

Franche, libere ed esente, così detta Casa Palatiata come dette due rimesse e portione di detto giardino da qualsivoglia peso di censo, servitù... Al d° Sig. D. Giuseppe de Liguoro devesi ducati mille ottocento sessanta tre, tarì due e grana dieci, dovutuli da esso m.co D. Giuseppe Scordovillo per l'infrascritti capitali... [*Allegantur debita et citantur notarii, coram quibus instrumenta fuerunt signata. Inter debita adfertur sequens onus:*] Ducati settant'uno... dovuti per attrasso a d° Collegio [PP. Iesuitarum] una cum d° annuo censo di ducati cinquanta sette e grana 15, esso Sig. D. Giuseppe de Liguoro spontaneamente in presenza nostra promette e s'obliga darli e pagarli

(71) Anno 1717, die 26 iulii, dictat suum testamentum D. Carolus López, quo « lascia al mag.co D. Nicola López suo fratello... beni liberi, stabili, siti nel suppartico de' López, giusta loro notorij confini ». Ibid., Not. Pietro Pellegrino, an. 1717, f. 42r. Testamenti dictatio non tulit secum mortem immediatam, utpote quod die 3 ianuarii an. 1720 notarius Venettozzi adserit: « Personaliter nos contulimus ante palatium Ill.mi D. Caroli Lagni, situm in suppartico vulgo delli López in suburbio Virginum ». - Ibid., Not. Domenico Venettozzi, an. 1720, f. 1.

(72) Non agitur de PP. Cruciferis, sed de PP. Congregationis Missionis seu Lazaristis, qui favente card. Caracciolo et post suppressionem PP. Cruciferorum occupaverant Neapoli eorum sedem atque ab anno 1668 instauraverant opus exercitiorum spiritualium, quibus mox usus est S. Alfonsus saecularis et ecclesiasticus. Cfr G. SPARANO, *Memorie*, II, Napoli 1768, 30: qui nonnullas suas notitias mutuatur a C. CELANO, *Giornata Settima*, 86.

a d° Collegio alli quattro del mese di settembre prossimo passato del corrente anno 1717 avanti et in futurum...

E fatta detta assertiva esso m.co D. Giuseppe Scordovillo... ha venduto et alienato al d° Sig. D. Giuseppe de Liguoro presente et accettante e comprante così la medesima Casa Palatiata, ut supra descritta, come le sudette due rimesse e portione di giardino come di sopra descritte... Decorrendo l'affitti e pigioni di d^a casa a beneficio d'esso Sig. D. Giuseppe de Liguoro dal quattro di gennaio primo venturo dell'entrata anno 1718 in avanti et in futurum. E questo per il convenuto prezzo di duc. duemila novecento settanta... [*Pergunt clausulae nummariae*]. Praesentibus Judice Carolo Antonio Jannelli Regio ad contractus, m.co Domenico de Simone, Flaminio Gemma, Carolo Palmieri et Petro Sansone.

f.545. — [*Ad folii oram fit fides actus possessionis*]. Die trigesima mensis novembris millesimo septingentesimo decimo septimo Neapoli in suburbio Virginum... Ad preces nobis factas pro parte D.ni D. Josephi de Liguoro, emptoris introscriptae domus, personaliter accessimus ad dictam domum sitam in supradicto suburbio Virginum..., et cum ibidem essemus, dictus D.nus D. Joseph de Liguoro asseruit coram nobis emptam fuisse per ipsum introscriptam domum Palatiam vigore introscripti instrumenti ad ejus beneficium facti per introscriptum m.co D. Joseph Scordovillo. Et intendens propterea possessionem ac manutentionem praedictae introscriptae domus reducere in publicitatem. Hinc est quod hodie... apprehendit et cepit veram et effectivam possessionem... stando, deambulando, portas et fenestras ejusdem aperiendo et claudendo, et faciendo omnes actus necessarios... pacifice et quiete et nemine contradicente nec discrepante. Requirens statim nos quod de omnibus praedictis ac signanter de praedicta possessione publicum conficere deberemus actum. Nos autem... Unde... Praesentibus Judice Carolo Antonio Jannelli Regio ad contractus, Carolo Palmieri, Petro Sansone et Antonio Gifuri testibus.

IV

Domus palatiatae descriptio, adnexa praecedenti emptionis instrumento.

Arch. di Stato, Napoli; l.cit.

A richiesta fattami dal Molto R.P. Antonio Morvillo, Procuratore del Collegio de' R.R. Padri Gesuiti di Napoli, dal Sig.r D. Gennaro Pisacano e dal m.co D. Giuseppe Scordovillo mi sono conferito in uno Ospitio di case, sito nel borgo de' Vergini di questa città, e proprio nel Supportico di López, per quelle descrivere et apprezzare, scilicet:

Confina la Casa predetta da fronte con detta strada del Soppotico pred°, sopra del quale sino le camere del Sig.r D. Pietro Lagnini [*lege*: Lagni], da destra con la strada maestra del borgo de' Vergini, da sinistra coi beni del m.co D. Giuseppe Scordovillo, e beni de' R.R. P.P. delle Crocelle.

Consiste verso d^a strada del Soppotico in un basso coperto a trave, e poi

appresso proprio accosto al medesimo Sopportico si ha uno entrato coperto à lamia à botte con due porte allo basso: una à sinistra che porta alle stalle, coperto à travi, capace di quattro poste, e l'altro delle stanze à destra, che si noterà colla bottega di fuori. Doppo d° entrato si ha il cortiletto scoperto à sinistra del quale vi è un basso coperto à travi col lume incredibile [*sic*] sopra i beni di d° Scordovillo, et anche si trova la portelia del giardino di d° Scordovillo, che hà l'uscita a d° cortiletto. In testa d° cortiletto et accosto d° portella, vi è altra porta d'un picciol scoperto o terrazza con comodità di pozzo e lavatoro.

A destra di d° cortile vi è scala di fabrica con vano sotto la tesa per uso di cantinella, et ascendendo la prima tesa si ha un picciol ristretto per l'altra tesa (73), poi si impiana al primo Appartamento: consiste in una sala coperta da otto valere (74), con due finestre alla strada, et altra al cortile con comodità di stipo dentro muro: à destra detta sala vi è la stanza coperta di cinque valere con finestra a d° strada: da dette rivolte altra stanza similmente di cinque valere con aspetto sopra il giardino di d° Scordovillo con comodità di focolaro e cloaca: da dette poi si ha l'uscita ad un gaifo (75) scoperto, che corrisponde anche a d° sala.

A sinistra d° sala si trova l'altro braccio consistente in una camera coperta da valere cinque e mezza con aspetto a d° strada: à sinistra d'essa mediante porta si ha una stanzola o ristretto con poco lume a d° scala: dopo d° prima camera, ne segue un'altra di sei valere con simil aspetto alla strada, et appresso segue stanza grande di sette valere con balcone e paraustrata [*lege*: balaustrata] di ferro verso la strada maestra delli Vergini; et à sinistra della penultima descritta vi è la lucina, che si divide con mostarco di fabrica in antecocina piccola, e cocina di cinque valere con aspetto sopra del vacuo della Taverna che si descriverà appresso, e passetto à latere che vò al pozzo.

Per due altre tese di d° scala s'ascende al secondo quarto, consistente in simile sala e stanza à destra, et accosto altra stanza coll'aspetto al cortile sopra il giardino di d° Scordovillo. A sinistra d° sala seguono tre altre stanze simili, due verso la strada del Sopportico, e l'ultima verso li Vergini; et à sinistra la penultima vi è antecocinella, che piglia lume dallo cataratto[?] sopra l'astrico e per una tesa di scalandrone di legno, si sale alla cocina con finestra sopra del vacuo della Taverna, e gaifo coperto à tetto, che va al pozzo: per ultimo si ha l'astrico à cielo, che cuopre la sala, due camere à destra la scala predetta, e tre camere à sinistra, che la maggior parte bisognano rifarsi.

Calando alla strada grande delli Vergini, et accosto d° Sopportico, vi è la bottega, che si tiene dal arenaniuolo, che tiene galesso ed affitto con portella sotto il Sopportico: in testa si ha altra stanza, che piglia lume dello descritto e da un finestrino verso la predetta strada, e con scaletta a sinistra si cala ad una cantinella con comodità di pozzo: à destra vi è un picciolo ristretto, et

(73) *Tesa*: branca della scala. A. ALTAMURA, *Diz° Dialettale*, Napoli 1956, 250.

(74) *Valera*: spazio tra una trave e l'altra nei soffitti. - *Ibid.*, 260.

(75) *Gaifo*: terrazzo, terrazzino. - A. ALTAMURA, *l. cit.* 123.

in testa la stanza à lamia con quattro poste per uso di stalla, e corrisponde allo entrato descritto, dove anche vi sta porta che corrisponde allo Sopportico.

Tornando in d^a prima bottega è destra vi è portella, dove si trova lo scalandrone con porta, che ha uscita alla strada: da d^a si cala ad una altra cantina à lamia, e sopra poi con più tese si ascende ad una camera grande di sette valere e torsenale con finestra alla strada maestra [*id est, Virginum*], e sopra sta la taverna di sotto nel muro del ingresso à sinistra accosto d^a scala di legno vi è picciol ristretto per lo contenuto d'una valera con lume sopra del vano di d^a taverna. Seguitando d^a scala di legname si ascende ad un'altra camera simile con finestra verso la strada, coperto da sette valere, e ristretto accosto la strada.

Ripigliando la strada maestra si trova la stanza della Taverna, coperto da otto valere e torsenale con ristretto à sinistra dove sta lo focolaro: in testa vi è altra stanza de' cinque valere con arco aperto et una tesa di scala à latere che prima ascendeva alla stanza di sopra e mediante d^o arco si ha un vano scoperto per lo contenuto d'una stanza, à sinistra del quale vi è comodità del pozzo.

Per valutare giustamente quel che vale la casa predetta, avendo considerato il sito dove sta, quello hà uso rende e può rendere à portione d'essa vi sta la taverna, le reparationi che vi bisognano et in particolare della maggior parte delli astrichi à cielo l'anno accodatori per mantenerla ha avuto mira all'empituosa [*sic*] lava cha passa per la strada delli Vergini (76), che spesse volte entra dentro nella bottega e taverna predette, alle dispositioni del presente tempo, et altro che di ragione considerer si deve, l'apprezzo comodo et forma che é stata descritta di sopra una con le servitù attive sopra detti beni di Scordovillo, e passive cha dal giardino di Scordovillo si ha l'uscita al cortile predetto, e per franca e libera di qualsivoglia peso di cenzo, patto etc. per docati due mila settecento cinquanta 2.750.

Mi è stato riferito che sopra d^a casa vi sta il peso d'annui docati cinquanta sette e grana quindici de cenzo dovuto alli RR. PP. del Collegio del Giesù, quale essendo di cenzo emphiteutico perpetuo inaffrancabile (77) da me si stimano per docati mille e cento quaranta tre 1.143.

Quali dedotti dalli sopradetti docati due mila settecento cinquanta resta con d^o peso per docati mille seicento e sette 1.607.

Se poi il pred^o cenzo da scritte apparisse essere affrancabile si debba dedurre non per lo prezzo stimato, ma per quello apparirà convenuto.

(76) Lava: torrente di pioggia: famosa la « lava dei Vergini ». A. ALTAMURA, l. cit., 134.

